ORATIO DE VITA ET OBITV CLARISSIMI VIRI ET PRAESTANTISSIMI Theologi D. PETRI MARTYRIS VERMILII diuinarum literarum professoris in schola Tigurina, habita ibidem à IOSIA SIMLERO Tigurino.

ITEM Scripta quædam D. Petri Martyris de Eucharistia, nunquam antehac edita.

HIS accesserunt Carmina doctorum aliquot virorum in eiusdem obitum conscripta.

631

TIGVRI APVD CHRISTOPHORVM Froschouerum. Iuniorem, Anno M. D. LXIII.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO D. IOANNI IVELLO Anglo, Dei gratia Sarisburiensi Episcopo, *Domino suo colendiss.* IOSIAS SIMLERVS *S. in Christo dicit.*

CVM proximè in obitu sanctissimi uiri, et grauissimi Theologi Petri Martyris Vermilij, orationem publicè in schola nostra habuissem, qua hi[illegible]riam uitę illius breuiter complexus sum, petierunt à me complures mei pariter & Martyris amici, ut eam recognoscerem & si possem augerem, atque ita ederem, quibus id non modò ob eorum in me amorem, sed alias quoq; graues ob causas denegare non potui. Etsi enim mea oratio non ita ornata & composita est, ut Martyrem dignis laudibus euehere queat, arbitror tamen eam ob rerum ipsarum ueram & simplicem commemorationem, multis qui Martyrem amarunt non omninò ingratam fore. Nihil enim à me narratur nisi quòd uel ipse uidi, uel à testibus fide dignis didici. Nam hac in re diligenter elaboraui ut omnem uitæ illius historiam exactè quantum fieri poterat, ab iis qui cum illo uersati sunt cognoscerem. Qua in re cùm alij mihi auxilio fuerunt tum maximè omnium Iulius Terentianus, qui & in Italia Martyris discipulus fuit, & in exilio omnibusq; peregrinationib ad obitum usque illius nunquàm a eo discedere potuit. Non pauca etiã cognoui ex Martyris uarijs scriptis, & ex literis ipsius ipsi ad amicos ac uicissim amicorum ad ipsum, quas diligenter inspexi, uoluntate & iussu hæredum easdem in ordinem colligens. Hanc igitur qualemcunque orationem (nam mea omnia quàm exilia & ieiuna sint, noui optimè & libenter fateor) ad te mittere Reuerende pater, & sub tui ornatissimi nominis auspicio in publicum exire uolui. Nam cùm Martyrem quoad uixit amaris & colueris, non dubito eius memoriam tibi gratam & iucundam fore, atque dolorem tuum, quem te incredibilem ex eius obitu percepisse arbitror, nulla re magis exhauriri posse existimo, quàm frequenti memoria & cogitatione diuinarum, quæ in illo eluxerunt uirtutum. Et quia tibi Martyris uita intimè perspecta

uisti, & ita cum eo u
primum, tum pòst apud
borũ illius, qui maximi fu
cum uero singulari Dei beneficio, studio uero & uoluntate ac
diligẽtia sereniſsimæ reginę Elizabethę uera religio apud uos in
integrum restitui cœpit, & tu cum multis alijs uiris bonis & do-
ctis patriæ restitutus es, & honoribus ampliſsimis, prout tuę ex-
cellentes uirtutes merebantur, auctus, abſens literis aſsiduis &
omni officiorũ genere priſtiná amicitiam ſemper ſtudioſe & di-
ligenter coluiſti. Tu.n. illum patris loco habuiſti, & ille uiciſsim
te ætate ſibi filium, dignitate patrem eſſe libentiſsime prædica-
bat. Quare cum domeſtica familiaritate & diuturna conſuetu-
dine Martyris ingenium, eruditionem, pietatem, modeſtiam, hu-
manitatem moresq; ſuauiſsimos perſpexeris: multa etiam de ui-
a illius ex ipſo audieris (ſolebat.n. quãdoq; amicis petentibus ea
commemorare, magna ipſorum delectatione, quæ ſibi cum in
talia tum alijs in locis accidiſſent) optime omnium de ueritate
uius narrationis iudicabis. Et
es pertinebant, uel à me omiſſa, uel orãtione mea depreſſa eſſe
fra rei dignitatẽ, potius iudicabis, quã ut ſtatuas me quicquam
ſę laudis illi affixiſſe. Fortaſſe etiã idem iudicabunt cũ hęc no
ra uiderint qui apud uos ſunt ueteres Martyris amici, cũ gene-
roſi et nobiles uiri tum etiam Reuerendi epiſcopi atq; alij cõplu-
res uiri celebres, qui aliquando Martyrẽ nouerunt et amarunt, ſi
modò aliqui eorum noſtrã hanc orationẽ ſibi legendá exiſtima-
bũt: quòd nõnullos tamẽ facturos puto, quorũ animis altius im-
preſſa infixaq; hæret Martyris etiã mortui memoria. Horũ uerò
iudicijs refragari non auſim, quin potius culpam fateor ante iu-
dicium, & pœnam deprecor: partim quod iuſtum arbitrer ueniã
me mereri, ſi ego unus non ſatis inſtructus ingenij & eloquen-
tiæ uiribus, & graui præterea mœrore ac dolore impeditus, eius
uirĩ laudes omnes oratione cõplecti nõ potui, cuius unius uirtu
tes aliquot ſeculis plures cũ quibus cõferantur pares nõ habue-
runt.

runt; partim quod existimem in me non modò successum, cõsilium & uoluntatem suscipiendi operis spectari debere. Nã ideò potissimum quæ ab amicis didiceram, & mediocri studio collegeram, publicare uõlui, ũt magni ac eloquẽtes uiri, studiosi & amantes Martyris, quales multos esse noui cum Italos & Anglos, tum etiã Germanos & Gallos, excitati meo exemplo, quod ego multis de causis non potui, ipsi quibus hoc facile erit, præstent, ut Martyris laudes splendida, eleganti, ornataq; oratione celebrent. Et hoc quidem munus mortuo Martyri à te prẽstari multi uiri boni optant, qui & quid in dicendo possis norunt, & quantum amaris Martyrem perspectũ habent: & huiusmodi orationes à uestro munere & dignitate nõ alienas esse existimãt: quandoquidem & Nazianzenus Basilium ac Athanasiũ, & Ambrosius Valentinianum ac Theodosium, atq; fratrẽ suum Satyrum, & alij episcopi alios præstantes uiros orationibus funebribus honorarũt: ne tamẽ hoc à te petant, Reuerẽde pater, ea ratione mouentur, quod tibi non uoluntatem sed ocium & tempus deesse existimant. Quantos.n. labores perferas in regno Christi propagando, & quanto studio & assiduitate ueri Episcopi munus exequaris, nos quoq; quamuis longe dissiti non ignoramus. Interea tamẽ si hac mea oratione te ad Martyris laudes ac uitam describendã prouocare potuero, sicuti sæpe optimi citharœdi ineptis aliorũ cantionibus prouocantur, ut quadã ex indignatione qui antea noluerant q̃ optime deinde canant, satis magnum fructum ex meo labore percepero. Sin uerò tibi tempus, alijs uolũtas hoc exequendi defuerit, cupio saltẽ meam hanc orationẽ extare, nõ in memoriã illius quam ille proprijs scriptis & laboribus sempiternã sibi cõparauit: sed ut nominis eius studiosi, saltẽ hãc uitæ illius historiam qualẽcunq; habeant: in qua cernere poterũt studiorũ eius initia & progressus: & multarũ ac magnarum uirtutum exempla hinc petere. A te uerò peto Reuerende pater, ut hanc meę in te obseruantiæ significationem ęquo aĩo accipias, & non tã me quàm Martyrẽ ipsum de quo tota est narratio, in hac oratione cognoscenda spectes. Postulabat quidem tuus erga me amor, ut maius aliquod & luculentius meę in te obseruãtię testimonium darem, uerùm cum uires desint, tu R. pater uolũtatem potius meam spectato, & me uti soles amare & cõmendatum habere quæso pergito. Vale Pater reuerende. Datum Tiguri primaria Heluetiorum urbe, IIII. Cal. Ian. 1562.

IN IMAGINEM V. C. D. PETRI MARTYRIS VERMILII, ANNO DOMINI M.D.LXIII.

Hunc genuit Florentia, nunc peregrinus oberrat,
Quo ſtabilis fiat ciuis apud ſuperos.
Illius effigies hæc, mentem ſcripta recondunt:
Integritas, pietas, pingier arte nequit.

ORATIO DE VITA & obitu viri optimi, præstantissimi Theologi D. PETRI MARTYRIS VERMILII, Sacrarum literarum in schola Tigurina Professoris.

ELLEM *Deo visum esse, Patres honorandi atque Auditores studiosi, vt sæpe multumque adhuc de hoc loco dicentem virum optimum, Theologum grauissimum, communem nostrum præceptorem Petrũ Martyrem audire potuissemus. Sed quia Deo patriq; omnia optimè gubernanti, visum est eum nobis (indignis fortè tanti uiri præsentia) adimere, & in ueram patriam euocare, quoniam illũ uti optabamus audire iam non possumus, de illo saltem ego, quod præsens tempus & officij mei ratio postulat, ad uos uerba faciam. Non tamen ignoro orationem meam non posse parem esse Petri Martyris uirtutibus, quibus ille sic omnes alios antecelluit, vt summi oratoris voce vix satis pro dignitate celebrari possit. In me autem ingenium minus etiam quàm mediocre est, exercitatio dicendi penè nulla, dolor autem tantus, qui etiam summi oratoris ingenium possit infringere. Doleo enim Auditores meo, doleo ipsius, doleo scholæ uestrumq; qui Martyrem amastis & coluistis omniũ nomine: Meo, quod amisi officio quidem collegam, reipsa præceptorem fidelissimum, ætate atq; amore patrem charissimum, qui me vnicè diligebat, idq; eò tempore quo minimè omnium putabam: Ipsius, non tam quòd mortuus sit, iamdiu enim semper optauit dissolui & esse cum Christo: & cũ illo quis negarit benè actum esse, quod à morbis, à laboribus, à curis & doloribus quos ingentes ex piorum calamitatibus & ecclesiæ dilaceratione capiebat, liberatus est, ac*

vrbium direptiones, aut funesta prælia, captiuitates & cædes bonorum uirorum, quæ omnia quotidie audimus & metuimus, non audit, non videt, non nouit, sed felix cœlestibus gaudijs fruitur: illud autem doleo ipsum multa & præclara opera, multorum annorum labores, multarum noctium vigilias, cum iam propè ad finem perduxisset, non tamen potuisse penitus absoluere & in lucem edere, & hoc gaudium & hunc quasi fructum suorum laborum percipere. Doleo scholæ nomine quæ eum doctorem amisit, cui par non potest substitui: quemcunq; enim patres Martyri nostro substitueritis, alterum Martyrem nõ habebitis: neq; enim vnus fuit è vulgo Theologorum, & ex gregario doctorum numero, sed tanto fuit ingenio, tam excellenti doctrina, ea præterea pietate, modestia, morumq; facilitate, vt non modo ijs quibus cum vixit gratus, charus, reuerendus fuerit, sed ab hostibus quoq; & aduersarijs inter summos numeratus sit, & admirationi illis fuerit. Hæc cum & dolorem meum augeant, & præterea vos quoq; cernam demisso vultu, tristi facie, humentibus oculis dolorem & ingentem animi molestiam ostendere, vincor magnitudine doloris, & quod principiũ, quem exitum orationis meæ inueniam non video. Verumtamen ne officio meo desim, comprimam dolorem, & non committam vt in hoc meo munere obeundo, tantum in me possit luctus, vt ab officio impediat, & me ingratum erga præceptorem meum efficiat. Quoniam verò Martyris laudes sunt amplissimæ, ob excellentes & diuinas eius virtutes, in me autem exigua est dicendi facultas, eaq; magno & vehementi dolore constringitur, ne conabor quidẽ splendidis & magnificis amplificationibus singula eius facta illustrare, ne forte oratione mea plus illis decedat quàm accedat dignitatis, sed tantum vitam atq; obitum illius historico more vobis exponam. Et contendam, si modo assequi potuero, ut ea quæ sparsim, quæ diuersis temporibus de viro optimo & præstantissimo Theologo vel vidistis ipsi, vel audistis, omnia in ordinem collecta & disposita simul cognoscere.

possitis.

positis. Quò ex his rebus quilibet vestrum præclara omnium virtutum exempla capere possit, cum ad alirum eruditionem, tum ad suæ vitæ vsum. Sequar autem ratioem & ordinem visitatum illis qui aliorum vitas literis commendant, ac primùm patriam, parentes, & educationem eius exponam, deinde, his quasi initijs & fundamẽtis positis reliquæ illius vitæ, quæ maximarum & amplissimarũ uirtutũ exemplis ibundat, narrationẽ aggrediar. Etenim vt in segetibus non tantùm messis copiosa & frugum vbertas nos delectat, verùm simulquoq; cognoscere iuuat, in quo solo seges facta sit, qua ratione agri sint culti, quo tempore sati, qua agricolæ industria aduti ad tantam fertilitatem peruenerint, sic in hominibus non tantùm virtutis quasi bonæ frugis contemplatio, sed parentum quoq; educationisq; notia nos multum iuuat & delectat. Natus est igitur Petrus rtyr Florentiæ, vrbe (vt omnes nouistis) non modò Hetruſed totius Italiæ longè florentissima, & quæ diutissimè anquam suam libertatem retinuit & defendit. Annus tum ageatur à parta salute M. D. qui maximè celebris est Caroli V. Imperatoris potentissimi natiuitate. Dies autem erat sextus Iduum Septembris, quo die veteres memoriæ tradiderunt deiparam virginem natam esse, & vrbem Hierosolymorũ à Tito Vespasiani filio captam esse & euersam, sicuti Christus seruator quadraginta annos antea prædixerat. Parentes habuit Stephanum Vermilium & Mariam Fumantinam ambos vetustæ honestæq; familiæ, & quorum maiores plerosq; in vrbe magistratus gesserunt. Ab his puero nomen impositum est Petri Martyris ex voto quodam, quod pro more & consuetudine illorum temporum fecerant Petro Martyri Mediolanensi, qui quondam, vt ferunt, ob defensionem veræ fidei ab Arrianis illius temporis occisus est: cuius etiam fanum non longè à paternis ædibus abfuit. Cum verò parentes ipsius vnicum hunc haberent filiũ, nam quos alioqui plures susceperant liberos, omnes ipso excepto & ipsius sorore gemina Felicitate, in pueritia mortẽ

Locus. Natiuitas Petri Martyris. M.D.

Dies.

obierunt, opes autem tuis essent satis honestæ & amplæ, filium quem optimè erudũ cupiebant, fidelissimis præceptoribus commendarunt, & præterea domi sv- singulari diligẽtia ipsum eru- dierunt. Mater præsertim quæ Latinæ linguæ perita in eadẽ filium suum à prima pueritia instituit, & teneris adhuc annis optimi Latinæ linguæ auctoris, Pub. Terentij comœdias illi interpretata est. Nicq; verò hæc muliebris disciplina contemnenda est, quandoquidem apud veteres auctores & principes huius linguæ, summi oratores Gracchi, Lælij, Catuli, Iulij, Curiones linguæ latinæ puritatem, & pronunciandi suauitatem à matribus acceptam, ab hac muliebri & domestica disciplina in forũ attulerunt. Et nostra ætate clarissimæ fœminæ Iana Suffoltia Angla, & Olympia Morata Itala, ut de viuentibus taceã, suo exemplo docuerunt, quid muliebre studium in eloquentia possit efficere, si eò animum appellat. Ab hac domestica disciplina deductus est ad Marcellum Vergilium, virum doctum celebrem translato nuper Dioscoride & commentarijs illustrato: Is eo tempore reipublicæ Florẽtinæ ab epistolis operam præstabat, quod munus antea Aretini Poggijq; fuerat, & præterea nobilem iuuentutẽ Latinas literas de pulpito magna cum laude docebat. In hoc primo studiorum cursu socios & amicos habuit nobiles & patricios adolescentes Franciscum Mediceum, Alexandrum Caponium, Franciscum & Raphaelem Riccios, Angelum quoq; & Pandulphum Stuphas, & Petrum Victorium, cuius singularis & excellens eruditio omnibus nota est, ob vetustos auctores Græcos & Latinos aut commentarijs illustratos, aut alioquin suæ integritati restitutos. In hoc autem primo studiorum cursu, cùm vix dum à metis progressus esset, initiò statim egregia quædam & præclara indoles apparuit, quæ parentibus & præceptoribus summæ eruditionis summæq; virtutis non dubiam spem afferebat. Erat enim in eo primum magna in percipiendo & cognoscendo ingenij celeritas, in retinendo tanta vis memoriæ, vt quiduis comprehendere & custodire pos-

se:

Studium deinde discendi adeò ardens, vt nunq; vnquàm molestia, nullum audiendi & legendi fastidium in eo appareret. Pudor præterea qui illam ætatem maximè ornat, mirificus in eo semper fuit, itaq; & senes instar parentum reuerebatur, & æquales suos quãuis plerosq; ingenio excelleret, ita tamen amabat, ita modestia sua sibi deuinciebat, vt nulla inter eos penitus oriretur æmulatio: quin eos quos puerilis consuetudo & familiaritas sibi coniunxit, quamdiu in patria & in Italia vixit amicissimos semper habuit. Quia verò in ætate lubrica, à voluptatum illecebris quas vrbs opulenta & abundans suppeditat, non modò in præsens sibi temperare statuerat, uerùm eadem in posterum cauere, decreuit omnibus delitijs spretis sese vitæ monasticæ quæ tum sola sancta habebatur, addicere. Quia verò ea ate per Italiam maximè celebris erat familia Canonicorum gularium D. Augustini, quòd cæteris monachis seueriore diplina vterentur, & diligentius etiam studia literarum excolerent, statuit se huic familiæ adiungere. Itaq; anno ætatis decimo sexto in collegium Fesulanum, quod in antiquæ Fesularũ vrbis ruinis extructum, vnum à Florentia lapidem distat, cooptatus est, magno consensu & gratulatione sociorum eius collegij, quibus præclara ingenij eius indoles nota erat. Fratris consilium soror quoq; Felicitas imitata est, ac socia facta est earum virginum quæ monasterium D. Petri Martyris incolũt. Fuit hoc vtriusq; factum patri ingratũ & molestum, vel quod voluisset familiam Vermiliam, in qua præter ipsos nemo alius superstes erat, à filio vxore ducta propagari, vel quod vulgi superstitionem, & monachorum fictam sanctimoniam, vir grauis improbaret. Etenim Florentiæ iam olim Dantes & Petrarcha multos abusus in Ecclesia reprehenderunt, & ante paucos annos idem factum fuerat à Hieronymo Sauonarola, cuius cõciones haud dubiè Vermilius senior audierat. Certè non omninò illi probatam fuisse uitã monasticam, ex eo colligimus quod testamẽto suo id quod in numerato argẽto habuit, uxori legauit,

quam secundam post Fumantinæ obitum duxerat: reliqua e rò bonorũ Xenodochio cedere voluit in vsum pauperum, hac conditione vt filio quo ad viueret soluerentur aurei quinquaginta, quos à signo scutatos nominamus. Cumque liberi eius in cœnobijs vitam agerent, maluit tamen sua bona pauperum vsui cedere, quàm ab ignauis monachis consumi, qui scilicet preces quasdam non intellectas pro eo demurmurarent. Quæcunque tamen eius hac in re fuerit sententia, vicit voluntatem patris ardens in filio diuini vt putabatur obsequij studium. Credo equidem multos esse qui hoc eius consilium ineundæ vitæ monasticæ reprehendendum esse existiment, atq; hi non tantũ me, verùmetiam hunc ipsum qui id secutus est sibi consentientem habebunt. Neq; enim cuiquam hoc factum vehementius displicuit quàm ipsi, qui quàm primùm errorem suum agnouit, dem etiam emendauit. Quanquam si temporum conditio spectemus, iudicium quidem reprehendi potest, voluntas ve. laudem meretur. Nam in illa monachorum vita superstitiosa & inerti, fuerunt tamen olim multa quæ animum pietatis & literarum studiosum ad eam alliceret: magna primùm nomina sanctissimorum virorum qui monachi fuisse dicerentur, Basilij, Nazanzeni, Chrysostomi, Ephiphanij, Hieronymi, Augustini, & aliorum, quorum vitam imitari & vestigijs ingredi quis non cuperet? deinde nomen religionis, & apud omnes peruulgata sanctitatis opinio: falsa quidem, fateor, sed quis hoc tum vidisset in tantis tenebris? quis etiamsi vidisset, ausus fuisset omnibus dissentientibus mendacij arguere, præsertim adolescens, cui ætati alioqui imbecillitas consilij propria est? Adde huc ea quæ vel maximè Martyrem ad hoc genus vitæ pertraxerunt, ocium non ignauum sed dicatum studijs, optimorumq; librorum magnam copiam. Nam cum pleraque collegia huius familiæ insignes Bibliothecas habent, tum vel maximè Fesulanum. Hoc enim Medicei veteres, qui maximo sumptu optimos libros non modò ex Italia, verumetiam ex Græcia, Asia & Ægypto

gypto collegerunt, extruxerant & celebri bibliotheca ornarũt. Qua librorum copia cùm quodammodo ad monasticam vitam illectus sit Martyr noster, accedente præterea opinione diuini cultus, condonemus iudicij errorem illis temporibus, voluntatẽ verò laudemus, quod scilicet religiosè, quod sanctè, quod in bonarum literarum studijs statim à pueritia ætatem suam transigere voluit. Vixit in hoc collegio triennium, sic vt socij collegij eius modestiam probarent, morum facilitatem & concordiæ studium amarent, ingenium verò laudarent & mirarentur. Exercuit se illo tempore non modò in artium dicendi præceptis, quæ iunioribus socijs in hac familia diligenter tradebãtur, verumetiam in sacrarum literarum lectione. Laudabilis nanque mos fuit huius familiæ, vt adolescentes qui memoria valerent, assuescerent quo quàm plurima ex sacris literis memoriæ mandarent: itaq; alij integras Pauli epistolas, alij librum Prouerbiorum Salomonis, nonnulli historiam Tobiæ, aut aliquẽ alium ex libris sacris memoriter recitabant. Sub hac disciplina cum trienniũ absoluisset Martyr, ita & ingenium et diligentiã suam approbauit socijs eius collegij, vt omnes dignum iudicarent qui ad præstantiores doctores mitteretur. Quare Patauium missus est, vt in celeberrima eius vrbis Academia ampliorem ingenij cultum caperet. Est autem in ea vrbe eiusdem fa cœnobium S. Ioannis de Verdara, in quo annis fermè q. xit, cum Alberto Abbate homine non indocto & qui aliorũ studia libenter iuuaret. Illo igitur tempore totum se Philosophicis studijs addixit, & dies noctesq; in omnium artium meditatione versatus est: itaq; sæpe referre solebat, sese quicquid in philosophia, & illis literis quas humaniores nominant, sciret, quod ipse quidem parum esse dicebat, ego verò cum alijs multis magnum super iudicabam, id se magna ex parte acceptum referre Patauinis studijs. Abundabat enim tum ocio quod omne in literis consumebat, habebat quos audiret Philosophos insignes, docebant enim tũ in illa Academia celeberrimi Philosophi, Bran-

da, Genua, Confalionerius, erat præterea in ipso ingenium excellens & singularis diligentia. Nam quotidie sese exercebat, legendo, meditando, scribendo, & potissimum disputando: qua in re eius diligentiam & acumen illi ipsi quos modo nominaui doctissimi Philosophi summopere approbarunt: sic vt in publicis congressibus sæpenumero Branda Florentinum suum, sic enim Martyrem nominabat ad disputandum prouocaret. Tradebatur tum temporis in Academijs omnibus Philosophia Aristotelea, hanc non tantum quod sola floreret est amplexus, sed vti in suis cõmentarijs testatur quos in moralem Aristotelis philosophiam conscribere aliquando cœperat, Aristoteleam Philosophiam maximè amauit & coluit ob methodum, & quòd minus errorum haberet quàm reliquæ philosophorum sectæ. Quia verò Aristotelis libri Latini quidem habebantur, sed tamen ita translati vt non vbiq; satis commodè Aristotelis sensum mentemq; exprimerent: quamuis enim doctissimi viri in Aristotele transferendo laborarint, pauci tamen Aristoteleam breuitatem & limatissimum orationis genus imitari & exprimere per omnia potuerunt: quia ergo Latini libri non vbiq; fideliter & perspicue Aristotelis sententiam exprimebant, statuit Græcam linguam addiscere, vt Aristotelem aliquando sua lingua loquentem audiret: & in hac re multum studij operæq; posuit. Carebat in præceptoribus idoneis, qui perspicuè ac diligenter rationẽ & vsum linguæ docerent, itaq; priuato studio & assiduitate magna difficultates omnes illi superandæ fuerunt. Audiui ex eius familiaribus eum sæpe integras ferè noctes in Bibliotheca, quæ in illo cœnobio locupletissima fuit, vigilasse cum Benedicto Casano qui illi omnium studiorum socius fuit, ita vt alter alio mutatis vicibus Græcum aliquem auctorem interpretaretur Hac autem diligentia tantum profecit, vt non modo Græcos oratores & philosophos, sed poëtas quoq; omnes, quorum tamen aliud dicendi genus est, absq; vllo interprete exacte intelligeret. Debebam hoc loco Theologica quoq; illius studia commemora-

re,

re, tres enim Patauij Theologos audiuit, Heremitanum vnum & duos Dominicani ordinis: verùm quia postea aliud & exactius genus Theologiæ secutus est, facilè patiemini me hanc uerè Scholasticam Theologiam silentio præterire, & ad alia atq; maiora progredi. Cùm ad annum ætatis peruenisset vigesimũ & sextum visum est socijs collegij illi publicè concionandi munus demandare, quo studia sua quæ intra scholam & in cœtu collegij hactenus delituerant, in lucem tandem & in publicum ecclesiæ vsum proferret, & ordini seruiret, sibi verò auctoritatem ac nomen compararet. Nam in Italia non vti apud Germanos presbyteri concionantur, sed munus hoc vniuersum ad monachos relegatum est, è quorum numero Dominicanæ familiæ socij singulis dominicis concionari solent, vnde etiam Prædicatorum nomen acceperunt, qui verò ex alijs sunt familijs, hi plerunq; tantum in Aduentu & in Quadragesima (vt ipsorum nominibus vtamur) concionantur ad populum. Quo autem rariores sunt conciones, eo maior & frequentior est concursus populi, præsertim in magnis & populosis vrbibus. Deliguntur itaq; ex omnibus familijs monachorum ad hoc munus, qui maximè doctrina & eloquentia videntur excellere. Qui si approbarint se populo, magna est eorum gloria, & celebre nomen sortiuntur. Ad hæc Canonicorum D. Augustini familia peculiaribus priuilegijs à Romanis pontificibus ornata est, vt omnes ex hac familia qui aliquando publicũ hoc concionandi munus executi sunt, fruantur honoribus, titulis, dignitatibus, priuilegijs quæ dantur illis quos Academiæ solenni more doctores pronuntiarunt. His autem titulis quos alij iam senescentes vix merentur, Martyr anno vt diximus ætatis suæ vigesimo sexto ornatus est: & ita ornatus, vt nõ inane nomen haberet sicuti mul-, sed doctrinam magnam & amplam studio indefatigabili cõparatam: & munus ac laborem publicè docendi cum ipso nomine doctoris coniunxit. Cæpit autem primum docere Brixiæ in tẽplo D. Afræ, & deinde in celeberrimis Italiæ & Galliæ Cisal-

pinæ vrbibus docuit, Romæ, Bononiæ, Firmi, Pisis, Venetijs, Mantuæ, Bergomi, Montferrati. Quodcunq; verò à concionandi munere ocium nactus erat, id omne in sacrarum literarũ & Philosophiæ studijs ponebat: ac non tantum publicè concionabatur, sed in collegijs suæ familiæ philosophiam & sacras literas interpretatus est: Patauij, Rauennæ, Bononiæ, Vercellis, qua in vrbe, vt ea quæ in Græcis literis didicerat docendo confirmaret, Homerum interpretatus est, petente hoc ab eo obnixè Benedicto Gusano Vercellensi, quem supra diximus omnium eius studiorum socium fuisse. Eodem tempore frequenti exercitio concionandi excitatus, qui pro scholarum consuetudine hactenus se potissimum in Scholasticis Theologis, Thoma præsertim & Ariminensi exercuerat, & interea quoq; patrum scripta cognouerat, diligentius quàm ante hac ipsos fontes Theologiæ sacras literas vtriusq; testamenti perscrutari cœpit. Quia uerò experiebatur ad id sibi necessariam esse Hebrææ linguæ cognitionem, ad hanc animum adiecit, & Bononiæ in qua vrbe vicarius erat Prioris, ita enim collegiorum præsides ab ipsis nominantur, illi operam dedit, nactus præceptorem Isaac quẽdam Hebræum Medicum. Quantò autem labore plerunq; hæc linguæ ab Hebræis addiscatur, norunt qui huiusmodi præceptoribus vsi sunt: nam plerisq; eorum in tradendo fides, methodus verò deest omnibus: itaq; cum ordine recto progredi non possint, & suæ linguæ cognitionem nostris hominibus inuideant, non nisi magno labore & sumptu (quicquid enim boni tradunt spe mercedis faciunt) lingua sacra ab illis discitur. Attamen omnes has molestias Martyr singulari patientia & indefatigabili studio superauit: tantus in eo ardor erat cognoscendi sacras literas. Quem cum considero, non possum satis admirari progressum & ordinem, quo visum est cœlesti patri ipsum ad agnitionem cœlestis veritatis perducere. Primum enim ab ineunte ætate voluntatem eius excitauit, vt pro viribus conaretur Deo placere & seruire, quamuis interea passus sit eum aberrare in

ratione

ratione diuini cultus: deinde ita animum eius informauit, ut innocentiæ vitæ & iustitiæ studeret, qua etsi Deũ promereri non potuit, coram tamen hominibus se irreprehensibilem præstitit: postremò ipsum incredibili amore sacrarum literarum inflammauit & accendit: quarum dum literam aliquandiu sectatur, tandem patefaciente spiritu Dei, abdita & spiritualia mysteria salutariter cognouit. Possem hac in re iuer ipsum D. Paulo gentium doctori comparare, in cuius vita ante conuersionem fuit studium diuini cultus, & iustitiæ quæ est secundum legem, in qua irreprehensibilis fuit, & præterea lectio legis, sed adhuc velo obtectæ: verùm breuitatis studium me ad alias narrationes his omissis reuocat. Probabant principes familiæ ipsius in concionando & docendo diligentiam, erat iam nomen eius celebre in maximis Italiæ vrbibus, quare statuerunt eum pro vt ipsius excellentes virtutes merebantur, ad ampliorem dignitatem prouehere, itaq; eum communi consensu fecerunt Abbatem Spoletanum. Quod munus administrandum cum suscepisset, ita præclarè se gessit, vt cuncti mirarentur hominem hactenus duntaxat in literis versatum, tanta pollere in omnibus rebus administrandis prudentia & dexteritate. Nam vt alia taceam, duabus in rebus quas nulli ante eum Abbates cõficere valuerunt, singularis eius virtus enituit. Fuere Spoleti duo collegia virginum, & tertium in quo ipse agebat Canonicorum Augustinianæ illius regularis vt nominant familiæ, horum omniũ disciplina superiorum Abbatum negligentia sic collapsa erat: vt ob eorum luxum & turpitudinem vitæ, vniuersa familia huius instituti magno odio apud omnes esset. Id cum Martyr videret, pro authoritate & officio suo docendo, monendo, hortando, & seuerius etiam castigando ita omnes in ordinem redegit, vt hinc non tantum sibi maximam laudem verumetiam vniuersæ familiæ summam gratiam conciliarit. Atq; hoc quidem ordinis & instituti eius proprium & quasi debitum officium fuit: illud autem alterum quod iam commemorabo longè præstantius

& vniuersæ reipublicæ collatum est. Spoletana respublica sicut & multæ aliæ in Italia, certas in factiones erat diuisa, inter quas perpetuæ erant cõtentiones, quæ sæpe ad pugnas & cædes vsq; progrediebantur: & quamuis hoc sæpè conati essent superiores Abbates, nunquam tamen partes componere & ciuitatem in concordiam redigere potuerunt. Id cum non ignoraret Martyr, secum autem cogitaret nihil magis officio suo conuenire, quàm dissidentes in concordiam reuocare, & mutua charitate, quam toties Christus commendauit, inter se coniungere, existimauit vitam potius sibi pònendam esse, quàm vt vlterius aspiceret ciuitatem, ita miserè proprio dissidio perire. Itaq; non ante destitit omnes publicè & priuatim ad concordiam hortari, officia Christiani hominis docere, patriæ calamitatem & priuata singulorum pericula ante oculos ponere, quousq; id quod contendebat efficeret. Tantum enim valuit eius auctoritas, prudentia, eloquentia, vt deinceps omni illo tempore quo in ea vrbe vixit, non modo cædes & pugnæ nullæ committerentur: verum etiam nulla vestigia factionum apparerent: tantum vnius viri excellens virtus & industria potuit. Habent in hoc viro Abbates omnes exemplum, quod si imitarentur, possemus forte aliquam ab illis ecclesiæ emendationem sperare, nunc verò quando neq; manifestissimos abusus corrigunt, perpetuò autem cædes & bella spirant, quid quæso boni nobis de illis polliceri possumus? Fuit Martyr Spoleti triennium, ac tum in publico conuentu patrum totius familiæ præfectus est collegio Neapolitano S. Petri ad aram, quod sacerdotium ob loci amœnitatem, & amplos prouentus magnæ dignitatis est. In hac vrbe gratia diuinæ illuminationis illustrius ac clarius illi affulgere cœpit. Nam quum hactenus in scholastica Theologia, in patribus etiã multum diuq; versatus esset, & tandem ad ipsos fontes se totum contulisset, magis magisq; quotidie à spiritu illustratus, errores & abusus in ecclesia cœpit agnoscere. Itaq; quod multis religioni est, animum adijcere cœpit ad percipienda nõstrorum quoq;

hominum

hominum scripta, atq; nactus Buceri commentaria in euangelistas, & annotationes in Psalmos, quas ille sub Aretij Felini nomine ediderat, diligenter euoluit, Zuinglij quoq; librum de vera & falsa religione & alterum eiusdem de prouidentia Dei, nõnulla etiam Erasmi, & legit, & se horum omniũ lectione multum profeciſſe sæpe ingenuè confessus est. Interea quotidie penè cum amicis qui puræ religionis studiosi erant aliquid ex sacris literis commentabatur, sic vt huiusmodi colloquijs multum vtrinq; in vera religione ædificarentur. Inter hos verò quibus cum de religione conferebat præcipui fuere Benedictus Gusanus, cuius supra quoq; mentionem fecimus, M. Antonius Flaminius, & Ioannes Valdesius Hispanus. Fuit hic postremus nobili genere natus in Hispania, & dignitate equestri ornatus à Carolo Cæsare, qui posteaquam à Deo veræ religionis agnitione donatus est, vitam suam in Italia & præcipuè Neapoli egit, quo loco doctrina & sanctiſsimo vitæ exemplo quamplurimos, præsertim nobiles, Christo lucrifecit, ac fuit eo tempore non spernenda ecclesia piorum hominum in vrbe Neapolitana: nã in illo cœtu multi viri erant nobiles & docti, multæ etiam excellenti virtute fœminæ, inter quas vt alias illustres ac uerè heroinas omittam, silentio tamen præterire non debeo nobiliſsimam heroinam Isabellam Manricam quæ nunc Christi nomine à patria exulat. In hoc cœtu piorum fuit itidem Christi nomine exul Galeazzius Caracciolus Marchio Vici & alij magni viri nunc exules, quos omnes nominare non necesse est, etc. Quamuis autem huius ecclesiæ prima laus debeatur Valdesio, nihilominus tamen Martyris quoq; virtus commemoranda est qui posteaquã à Domino ampliori luce diuinæ veritatis donatus fuit, & se cœtui piorum adiunxit, eam quam veram doctrinam esse norat statim alijs quoq; prædicare voluit. Etenim epistolam D. Pauli ad Corinthios priorẽ publicè interpretari cœpit, idq; magno cum fructu: nanq; illum non tantum eius collegij socij audiebant, verum etiam aliquot Episcopi, & multi no-

biles, nam vt noſtis ea vrbs ſemper nobilium & clarorum virorum domicilium fuit. Verũ poſteaquam verba Pauli quæ tertio eius epiſtolæ capite habẽtur, Vniuscuiuſq; opus quale ſit ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperſtruxit mercedem accipiet: ſi cuius opus exuſtum fuerit damnum patietur, ipſe verò ſeruabitur ſed ſic tanquam per ignem: hæc inquam verba cũ contra receptam opinionem interpretatus eſſet, multos ſibi aduerſarios & hoſtes concitauit. Vulgò enim perſuaſum eſt, his verbis à Paulo ſtatui & confirmari ignem illum Purgatorium, quo vix aliquid fructuoſius habent Papiſtarũ ſacrificuli. Martyr verò etſi nondum apertè oppugnabat illum Purgatorium quaſi carcerem à monachis extructum, oſtendit tamen idq; ex antiquis patribus, Paulum hic neutiquam de igne Purgatorio agere, quandoquidem ignem talem conſtituit quem pariter boni & mali ædificatores experiantur, ſed eum hoc potius dicere, eos qui non rectè ædificauerint poſſe quidem ſeruari, ſed quaſi per ignem, vt enim is qui euadit per incendia vix nudus exilit, ita hi doctrina ſua confutata & dãnata agnoſcunt ſe luſiſſe operam, atq; ita iudicio Dei retecto eorum peccato, pœnitentiæ dolorem & magnam triſtitiam ſentiunt. Sanam hanc & orthodoxam huius loci interpretationem quædã Papæ ſimul & ventris proprij mancipia non poterant ferre, videbant enim ſi hoc fundamentum Purgatoriæ ipſorum officinæ conuelleretur, etiãſi eam nemo deinde impelleret, tamen ipſam ſua infirmitate ſponte collapſuram: norant præterea caſum Purgatorij neceſſariò conſequi interitum parentalium ſacrorum, & indulgentiarum ex quibus quæſtum hactenus feciſſent vberrimum. Quare cum ſtatuerent hæc non eſſe ferenda, Martyrem quem harum rerum auctorem fore metuebant accuſarunt, atq; tandem effecerunt ut illi lectione interdiceretur. Sed Martyr huic interdicto obtemperare noluit, vt iniquo & iniuſto, & cauſæ bonitate fretus Romam ad Pontificem prouocauit, & illic amicorum ope aduerſarios ſuperauit. Habuit enim tum in vrbe amicos potentes & gratioſos

gratioſos Herculem Gonzagam Cardinalem Mantuanũ, Caſparem Contarenum, Reginaldum Polum, Petrum Bembum, Fridericum Fregoſium, omnes & doctos & apud Pontificẽ gratioſos, & qui tum viderentur aliquam reformationem eccleſiæ deſiderare. Horum gratia & opibus ſubnixus facilè obtinuit, vt interdictum illud aduerſariorum tolleretur, & ſibi concederetur priſtina docendi libertas: qua tamen non diu frui potuit. Nondum enim integrum triennium Neapoli egerat cũ in grauem & lethalem morbum incidit, vnà cum perpetuo ſtudiorum ſocio & integerrimo amico Benedicto Guſano, quo hic quidem obijt, Martyr verò ſingulari Dei beneficio, & diligenti optimorum medicorum cura difficulter euaſit. Quamobrem vt eius valetudini conſulerent principes familiæ, cum viderent ipſum non poſſe ferre aërem Neapolitanum, in publico conuentu declararunt ipſum generalem viſitatorem totius ordinis. In hoc munere ita ſe geſſit vt boni eius integritatem & conſtantiam ac grauitatem plurimùm laudarent, reliqui eum metuerent, & quamuis eum odiſſent id tamen diſſimularent. Erant tũ multi qui in ordine tyrannidem quandam exercebant, & cum luxu & impuritate vitæ maximam vniuerſæ familiæ inuidiam conciliarent, nullis rationibus & admonitionibus hactenus ad ſanitatem reuocari potuerant. Hos in ordinem redigendos eſſe Martyr exiſtimans, re cum Mantuano Cardinali qui totius familiæ protector erat, communicata, eius auxilio nõnullos ſuis dignitatibus priuauit, & generalem rectorem totius familiæ cũ aliquot ſocijs in Diomedea inſula ad perpetuos carceres damnauit. Vt autem hac diſciplinæ ſeueritate gratiam vniuerſo ordini & ſibi ipſi magnam gloriam comparauit, ita eodem facto multorum odia & inimicitias ſibi conciliauit. Itaque Mantuæ celebrato conuentu procerum familiæ Prior S. Fridiani Lucæ deſignatus eſt: quæ quidem etſi ampla eſt dignitas in hac familia, nam epiſcopalia iura in mediam vrbis partem obtinet Prior S. Fridiani: pauci tamen honoris cauſa Martyrem huc

promouerunt, pleriq; verò quòd eum odissent vel illi inuiderent, & existimarent eum ob patriam omnibus iniuisum fore: Lucẽses enim magnum & inueteratum quoddam in Florentinos odium habent, propterea quod eos libertati suæ insidiari existimant. Verùm Martyr ita excellenti sua eruditione & virtute Lucensium animos sibi deuinxit, vt contra aduersariorum & inuidorum spem & opinionem ipse homo Florentinus ciuibus non minus gratus atq; charus fuerit quàm si Lucensis ciuis fuisset: ita vt postea legatione ad proceres familiæ missa enixè petierint ne Martyr sibi auferatur. Cũ itaq; Lucæ ageret Martyr & in collegio suo haberet plures viros doctos, multos etiam optimæ indolis adolescentes, talem disciplinam instituit qua bonos mores, religionem & literarum studia quàm maximè posset promoueret. Nam primum hoc curauit vt in tribus linguis adolescentes erudirentur quàm diligentissimè, & Latinam quidem docebat Paulus Lacisius Veronensis, Græcam Celsus ex illustri Comitum Martinengorum familia, Hebræam Emanuel Tremellius. Ipse verò Martyr quo iuniores simul et Græcam linguam & religionem addiscerẽt, quotidie epistolas Pauli illis interpretabatur & rursus ab ijs lectionẽ exigebat. Publicè verò ante cœnam Psalmum aliquem Dauidicum explicare solebat, confluebant autem ad eum audiendum è tota ciuitate viri complures nobiles & docti, patricij Lucenses. Quò autem in vniuersa republica veram religionẽ plantaret, singulis diebus dominicis ad populum concionatus est, & in quadragesima quidem atq; in aduentu vsitato more Euangelia iam olim his temporibus adscripta exposuit, reliquis autẽ anni partibus Pauli epistolas. Quantum verò docendo profecerit ego commemorare nolo, uos autem ipsi facilè hinc colligere potestis, quod post eius ex Italia discessum, intra vnius anni spatium decem & octo socij collegium deseruerunt, & relicto Papatu profecti sunt ad ecclesias in quibus publicè pura Euangelij doctrina prædicatur, inter quos fuere vir nobilissimus Celsus Martinengus, qui

Geneuæ

ieuæ eccleſiæ Italicæ magna cum laude præfuit, & D.
ymus Zanchius qui nunc ſacras literas in celebri Arge-
nſi ſchola docet. Emanuel itẽ Tremellius celeberrimus H-
braeæ linguæ interpres. Teſtatur magnus numerus patricio
Lucenſium qui pro Chriſti nomine ſponte exiliũ ſubierunt, Mar-
tyris conciones fructu non caruiſſe. Dum ita Martyr Lucæ
ageret, conuenêre in ea vrbe Carolus Cæſar & Paulus III. Põ-
tifex, venit etiam illuc è Germanica legatione rediens Gaſpar
Contarenus Cardinalis, qui pro veteri amicitia apud Marty-
rem diuertit, vna cum Thoma Badia Mutinenſe Magiſtro
ſacri palatij & legationis ſuæ ſocio. Fuêre illis diebus quoti-
diana Martyris & Contareni de religione colloquia, vti inter
amicos homines doctos & religionis ſtudioſos. Redierat tum
primùm Contarenus ex Germania, audierat noſtrorum homi-
num fidei confeſſionem, rationes & argumenta eorum cognoue-
rat, & vt pleriq; iudicant non omninò malè de noſtris homini-
bus exiſtimabat. Credendum quoq; eſt & Martyrem multa
ex illo de noſtris hominibus & doctoribus audiuiſſe, quæ eum in
ſententia confirmarent: & viciſſim quoq; in multis Contarenũ
iuuiſſe, vt oculos aperire ac veritatem clarius agnoſcere incipe-
ret. Exiſtimabant nonnulli ob aduentum Pontificis Marty-
rem in aliquo periculo fore, quod homines inuidi & malitioſi qui
ſemper veræ virtutis hoſtes ſunt, apud ſuſpicioſum ſenem facilè
aliquam calumniam cõfingere poſſent, vnde illi periculum crea-
retur. Quia uerò propria auctoritate & eruditione firmus erat,
& præterea pollebat populi gratia & amicorum præſidijs, tum
quidem nihil contra eum mouerunt, ſed re in aliud tempus dila-
ta ipſum ex inſidijs adoriri ſtatuerunt. Quare vt primum pa-
tientiam Lucenſis populi explorarent, quendam Eremitanum
Auguſtinianæ familiæ à confeſſionibus, iuſſu Romani Ponti-
ficis in carcerem cõijciunt, & in eum de religione violata accu-
ſationem inſtituunt: quàm rem indignè ferentes nobiles aliquot
Lucenſes, qui hominis pietatem & innocentiam nouerant, ipſum

actis carceribus ex vrbe eductum fuga sibi consulere i. nt: in qua cum fortè lapsu crus fregisset, denuò captus & λ um abductus es℈. Posteaquam igitur prima hæc quasi in essio illis ex voto successit, statuerunt deinceps Martyrẽ aggredi, itaq; omnibus in locis insidias illi ponũt, Romæ clam in eũ accusationem instituunt, in singulis collegijs eius familiæ veteres eius inimicos excitant, tempus adesse ostendunt quo suam licentiam quàm ipsi libertatem appellabant recuperare, & de Martyre pœnas sumere possint: hortantur ne occasioni desint. Breui itaq; horum studio & opera Genuam coëunt, nõ pro more principes tantùm familiæ, verùm illi maximè qui Martyrem odissent, aut illi inuiderent, qui omnem licentiam vitæ sibi restitui cuperent, quorum religio in superstitiosis ceremonijs, sanctimonia in hypocrisi posita erat. Euocatur ab his Martyr vt se Genuæ primo quoq; tempore sistat: verùm cũ insidias inimicorum non ignoraret, quas odio excæcati celare non poterant: & præterea amici veteres eum monerent sibi caueret, multos esse qui vitæ eius insidias struerent, re secum diligenter deliberata statuit conuentum hunc omninò euitare, ac se aliò conferre, vbi ab aduersariorum vi & insidijs tutus esse queat. Itaq; primùm suæ Bibliothecæ partem aliquam, hæc enim erant ipsius κειμήλια, Christophoro Trentæ patricio Lucensi, homini pio veræ religionis studioso committit, qui eam postea in Germaniam ad illum peruehi curauit: reliquam partem legauit collegio: deinde rebus collegij ordine quantum poterat compositis & cura eius vicario suo cõmissa, clam è collegio & ex vrbe discessit, cum tribus tantum comitibus: Paulo Lacisio Veronense, qui postea Argentinæ factus Græcarum literarum professor in ea vrbe mortem obijt: Theodosio Trebellio & Iulio Terentiano, quem omneis nostis Martyri cõstanter & fideliter ad obitum vsq; adhæsisse. Luca discedens, cum statuisset patriam primum adire, Pisas venit, & in ea vrbe cum aliquot nobilibus Cænã Domini Christiano ritu celebrauit: nactus illic fidos homines

mines literas de discessu suo conscripsit ad Reginaldum Po. & alteras ad suos Lucenses quæ post mensem à discessu suo illis redderentur. In his ostendit qui & quàm graues errores & abusus sint in omni pontificiorum religione, & separatim etiam in vita monastica, quibus communicare salua conscientia vlterius non potuerit: exposuit etiam alias sui discessus causas, odia scilicet & insidias inimicorum suorum: commemorabat suam in illis erudiendis & moderandis fidem & religionem, & sibi dolere testabatur quod non potuerit eos clarius & apertius in vera fide instituere: annulum quem insigne dignitatis gestare solebat, illis remisit, quo declararet se nihil bonorum collegij in priuatos vsus voluisse conuertere. Et certè quod eius innocentiæ indicium est, exiguum peculium secum in Germaniam attulit, quod scilicet paucis annis quibus iam exilium meditabatur, ex proprio patrimonio collegerat. Posteaquam verò sicuti destinauerat in patriam peruenit, reperit ibi virum optimum & doctissimum Bernardinum Ochinũ qui Romam euocatus eò pergebat, sed posteaquã ab amicis de periculo admonitus cũ Martyre sua consilia contulit, ambo tandem communi consilio statuerunt deserta Italia & relicto patrio solo Germaniam petere. Et prior quidem Bernardinus inde discedens se Geneuam primùm, & postea Augustã Rheticam contulit: Biduò post Martyr ipsum secutus est, & Bononiam primùm, deinde Ferrariã, mox Veronam profectus vbiq; humaniter exceptus ab amicis veteribus, tandem per alpes Rheticas in Heluetiam peruenit. In hoc itinere cum Tigurum venisset, humaniter exceptus à Bullingero, Pellicano, Gualthero & cæteris ecclesiæ atq; scholæ nostræ ministris, suam illis operam obtulit, si ea vti placeret: verùm quia nullus locus in schola eo tempore vacabat, ostenderunt se quod maximè vellent hoc tempore eius opera vti nõ posse, attamen voluntatis eius se grato animo memores fore. Referebat aliquando, si huius profectionis mentio facta fuisset, se cũ primùm Tigurum venisset, multum & tũ & deinceps semper

.. vrbem amasse, ac optasse hanc esse certum & firmum exitij sui hospitium: cuius voti pòst compos factus est, quãuis prius diuinæ prouidentiæ visum fuerit, eum tanquam legatum Iesu Christi ad varias vrbes & gentes mittere, vt tandem Deo ita procurante Tigurum rediret, & in ea vrbe non longè ab Italiæ finibus, post longas & difficiles peregrinationes conquiesceret. Tiguro igitur tũ discedens Basileam venit, & cum illic mense vno fuisset, Argentinam vnà cum Paulo Lacisio vocatus est, id procurante viro optimo & doctissimo Martino Bucero, atq; ipsi quidem sacrarum literarum, Lacisio autem Græcæ linguæ professio demandata est. Suscepto igitur docendi munere illis quinq; annis, quibus Argentinæ ante discessum in Angliam docuit, plurimos libros sacros interpretatus est. Nam primum Ieremiæ prophetæ Lamentationem, deinde duodecim prophetarum, qui minores nominantur, librũ enarrauit. Postea ab initio Bibliorum volumen incipiens Genesim, Exodum, & bonam partem Leuitici explicauit. Quanta autem eruditione fide & diligentia hoc fecerit, testabuntur aliquando ipsius in hos libros commentarij si in publicum prodierint. Nam quamuis eos in priuatum vsum conscripserit, & morte præuentus non potuerit recognoscere, digni tamen sunt qui in manus studiosorum veniant. Præterea quantum iam tum in docendo excelluerit, non modò ex his quæ ipsi audiuistis & vidistis conijcere, sed hinc quoq; cognoscere potestis, quod cùm haberet collegam Martinũ Bucerum summum Theologum, qui, vt à viro quodam docto verè de illo scriptum est, præter reconditam eruditionem copiosamq; multarum rerum scientiam, præter ingenij perspicaciam, multam lectionem, aliasq; multas ac varias virtutes, hanc sibi propriam laudem habuit, quòd vix alius hac memoria exactiore diligentia in scripturæ interpretatione versatus est: hunc inquam talem ac tantum virum cum in docendo collegam haberet, nunquam tamen eo inferior esse visus est. Nam primum quod propter trium linguarũ exactam peritiam felicissimè præ-

stare

ſtare poterat, ipſa verba ſacrarum literarum ſenſumq; genuinum diligẽter explicabat: deinde inueſtigabat & retegebat rationes & argumenta, quæ ſub verbis alioquin ſimplicibus & tractis deliteſcunt: & ſimplicius dicta alijs locis cõfirmata obſcura cum apertis conferebat, oſtendebat quæ nam aduerſari viderẽtur verbis propoſitis, & rationem ea concilianti demonſtrabat, quid item patres ſenſiſſent ſingulari felicitate memoriæ ordine exponebat: & acri iudicio quod pondus & robur ſingulorum interpretationes haberent, examinabat: controuerſias verò incidentes ita dextrè & dilucidè explicabat, vt nemo alius. In vniuerſa autẽ tractatione duo præterea afferebat quæ cùm maximè in docendo neceſſaria ſint, methodus exacta, deinde oratio pura & dilucida, ſic in his excellebat, vt Bucerũ non modò æquare verumetiam omnium iudicio ſuperare videretur. Nam ille methodi alioqui obſeruantiſſimus, nonnunquam tamen multarum rerum ſcientia aliò abductus, longius ab ordine inſtituto diuertebat: aut infinitis occupationibus diſtractus partitionis propoſitæ non ſemper memor erat: adhæc fuit illi (ſicuti agnouit & ſæpe faſſus eſt) peculiaris obſcuritas orationis, vt non niſi ab attento auditore intelligi poſſet. Martyr autem omnia quæ tractanda erant cum aptè in certas partes diuidebat, tum neq; vllius earum in quantumuis prolixa tractatione obliuiſcebatur, neq; nouam aliquam in media tractatione inſerebat, neque ordinem quem initiò propoſuerat inuertebat, ſed eum quem ſemel propoſuiſſet partium numerum & ordinem conſtanter ad finem uſq; perſequebatur. In dicendo verbis vtebatur puris, proprijs, Latinis: compoſitione præterea tali, quæ neq; contractione orationis aut verborum ambiguitate obſcuritatẽ pareret, vel rurſus orationis longitudine ſententiam ſuſpenderet, & intellectum ac memoriam auditoris turbaret. Itaq; non modò rerum ipſarum grauitate, verùm orationis quoq; ſuauitate & elegantia animos auditorũ demulcebat, & ſumma præterea grauitate in ipſis lectionibus nunc ad piam vitam cohor-

14

batur, nunc ad pœnitentiam grauiori increpatione commo-
bat, vt omnibus his rebus quasi conditæ eius lectiones, sum-
m eruditionem & eloquentiam cum singulari pietate coniũ-
ostendentes, magnam illi gloriam omnium iudicio compa-
rt. Nunquam tamen doctior erat & magis admirandus,
in publicis disputationibus. Siue enim moderandi essent
concertantes alij, tam se æquum iudicem præbebat, ac rationi-
bus tantum quæ ad persuadendum valerent mouebatur, vt ne-
mo vnquam suspicaretur partibus eum studere: non aduersa-
riorum argumenta solida deprimebat: non conniuebat ad ami-
corum errores & falsas rationes: si extra fines disputationis e-
uagari vellent eos mansuetè ad rem propositã reuocabat: si ve-
rò res ad rixas vergeret, sua authoritate eas sopiebat. Ita aũt
finiebat eos congressus, vt & semper primùm maximè necessa-
ria repeteret, & tum demum de integra causa pronũciaret, quo
& veritas victrix foret, & inde non exigua ad auditores re-
dundaret vtilitas. Quod si ipsi differendum esset, tam in propo-
nendo quàm in respondendo, ita se semper gerebat, vt nulla esset
suspicio cupiditatis, vel rixandi vel reportãdæ victoriæ de pro-
strato aduersario: sed animo ab affectibus libero, quid verum
esset docebat potius quã vt cum vllo de verbis rixaretur. Itaq;
cum postea sæpe cum acerrimis Pontificiæ religionis propugna-
toribus congressus sit, neq; ipsorum conuitijs ad iram vnquam
impulsus est, neq; nostrorum hominum laudibus & acclamatio-
nibus gloriola tali elatior factus est: sed eandem modestiam
& animi æquabilitatem perpetuò tenuit. Qua verò perspicui-
tate dicendi in publicis prælectionibus vsus est, eam multo stu-
diosius in differendo consectabatur: iudicabat enim orationis ob-
scuritatem & ambiguitatem verborum plurimarum cõtentio-
num causam esse. Atq; huius rei apertum testimonium scripta
illius præbent, nam cùm multa de iustificatione hominis, de præ-
destinatione diuina non pauca, plurima verò scripserit de Cœna
Domini, in cuius explicatione complures viri docti affectata

quadam

quadam obscuritate utũtur, nihil nisi proprium, simplex, dilu-
dum in eius scriptis legitur. Quin etiam cum Bucerus, quem co-
luit & admiratus est, sæpe illum hortaretur ut in causa cœnæ
Dominicæ obscuris quibusdã & ambiguis dicendi formulis ute-
retur, quibus ipse ideò vtebatur, quod vir bonus sibi persuasis-
set, posse, hac ratione tolli grauem quæ est de hac causa contro-
uersiam, & ita ecclesiæ, pacem diu desideratam restitui: paruit 15
tandem illi & eisdem cum eo loquendi formis vsus est: sed mox
periculo huius rei animaduerso, sententiam mutauit. Vidit enim
hac ratione non posse illis satisfieri, qui crassam & carnalẽ præ-
sentiam corporis Christi in Cœna statuunt, nisi etiam crassæ eo-
rum locutiones cum plena crassaq; interpretatione recipiantur:
rursus etiam expertus est fratres infirmiores hac orationis am-
biguitate partim grauiter offendi, partim ita implicari & per-
turbari, vt vix norint quid sibi in hac causa sentiendũ sit. Qua-
re Bucero suas locutiones cõcedens, ipse eandẽ quam in alijs re-
bus in hoc quoq; dogmate perspicuitatem secutus est, mansitq;
nihilominus inter eos firma cõstansq; amicitia: nam neq; Mar-
tyris sententiã Bucerus improbabat, neq; Buceri sensum, quan-
tumuis ambiguis locutionibus vteretur, Martyr ignorabat.
Itaq; etsi diuersa eorum in hac causa esset docendi ratio, fuit ta-
men summus eorum cõsensus in omni doctrina religionis, & per-
petua amicitia vitæq; coniunctio: quam si explicare vellem, &
omnia eorum officia quibus mutuũ amorem declararunt cõme-
morare, verba me citius quàm res ipsæ deficerent. Quare his o-
missis ad priuata & ad domesticam illius vitam enarrandam
me conuertam, Argentinæ enim primùm domum & familiam
habere cœpit. Vixit autem primùm absq; vxore in eisdem ædi-
bus cum amicis qui eum ex Italia secuti sunt, stipendio modico
aut potius exiguo cõtentus, quod tamen illi postea auctum fuit:
cum enim patriam & opes ampliss imas summosq; honores Chri-
sti nomine reliquisset, existimabat sibi non conuenire vlli mole-
stum esse de augendo stipendio: præsertim cùm vita ita esset fru-

li, vt hoc quod haberet nõ modò sibi sufficeret, sed aliquid etiã supereſſet ad amicos iuuandos. Cùm verò vitam cœlibem grauibus de cauſis improbaret, amicorum conſilio ſibi deſpondit honeſtam & nobilem virginem Catharinam Dampmartinã quæ cum Metis ageret, & veram religionem amaret, à pijs viris Argentinam euocata & Martyri poſtea deſponſata fuit. Obijt hæc poſtea in Anglia absq; vlla prole, cum annos octo cum marito vixiſſet. Huic quicunq; eam nouerunt cuncti hanc laudem tribuunt quæ optimæ & præſtantiſsimæ matronæ debetur: fuit enim imprimis Deum timens, mariti amans, in re domeſtica adminiſtranda prudens & induſtria, munifica erga egenos, & quæ non modò ſuis facultatibus, verumetiam conſilio & omni ope eos iuuaret, præterea in omni vita pia, modeſta, ſobria. Ferunt plebeios homines Oxonij, illam non tantũ vt beneficam ac matrem quodammodo egenorum amaſſe, verumetiam quaſi ſacro numine præditam admiratos eſſe, propterea quod in morbis, & præſertim in partu uxores eorum illius conſilio & auxilio certam plerunq; ſalutem conſequerentur. Huius defunctæ corpus Polus Cardinalis effodi & in ſterquilinium abijci iuſsit, & cùm aliud vt iure agere videretur accuſare non poſſet, hanc cauſam adſcripſit, quòd iuxta corpus ſanctæ Frideſuidæ humata eſſet, et hæretici vxor fuiſſet. Etenim Cardinalis hic qui aliquãdo præcipuus Martyris amicus fuerat, poſt eius diſceſſum ex Italia non modò ab ipſius amicitia diſceſſerat, verumetiam ſtudiũ veræ religionis, quod ad tempus ſimulauerat, penitus abiecit, & acerrimus noſtrorum hominum hoſtis & perſecutor factus eſt. Itaq; cum Martyrem, quòd optabat & maiore voluptate aſpexiſſet, flammis abſumere non poſſet, in mortuum cadauer, quod vxoris eius fuerat, ſæuijt. Poſteaquam verò Anglia ſub ſereniſsima regina Elizabetha priſtinam Euangelij lucem recepit, ad hanc infamiæ notam eluendam corpus iuſſu Epiſcoporũ rurſus è ſimo & ſtercore erutum, & frequenti populo in honorificentiſsimo templi loco ſolenniter ſepultum eſt. Et ne quid ſimile

mile in posterum Papistæ tentare possent, ossa eius cum Fidessuidæ (quam olim religiose illi coluerũt) ossibus permixta sunt. Quamobrem quòd sanctissimæ fœminæ corpus turpiter & cõtumelioſe abiectum eſt, illustre est monimẽtum Romanæ tyrãnidis, quæ neq; uiuis neq; mortuis fidelibus parcit: quòd uerò honorificentissimè restitutũ est ueteri sepulchro, Anglorum erga suũ præceptorẽ, cuius ea nuper uxor fuerat, pietatẽ & gratitudinẽ testatur. Et quia huius rei occasione in mẽtionem rerum Anglicarum deuenimus, ac satis ut uidetur dictum est de ijs quæ Argentinæ fecit & docuit, exponã deinceps quare in Angliã profectus sit & quid in ea effecerit. Mortuo Heinrico rege Angliæ Edoardus eius filius de consilio tutorum, & maxime Edoardi ducis Somersetensis auunculi sui, ac Thomæ Cranmeri archiepiscopi Cantuariensis & totius Angliæ primatis, pontificiã religionem abolere, & ecclesias iuxta verbum Dei reformare statuit. Et quia ex Academijs ministri ecclesiarum prodeunt, qui per vniuersum regnum verbum Dei annuntient, eas cũ primis diligenter reformãdas esse statuit, quo deinde ex his purus succus sanæ doctrinæ in singulas regni partes deriuetur. Quia uerò Petrus Martyr doctorum virorum iudicio, ob singularem eruditionem & incredibilem multarum rerum peritiam, vnus omnium ad hoc munus maximè idoneus videbatur, ab archiepiscopo Cantuariensi de voluntate regis vocatus eſt. Itaq; sub exitum Nouembris anni 1547. permissu senatus, Argentina vbi iam quinquennium docuerat in Angliam discessit, comitãte eum Bernardino Ochino, qui & ipse quoque ab eodem Archiepiscopo vocatus fuerat. Cum autem aliquandiu eos Archiepiscopus secum detinuisset, & omnibus humanitatis officijs prosecutus esset, Martyr iussu regis sacris literis interpretandis Oxonij præfectus eſt. In ea Academia primum enarrauit epistolam D. Pauli ad Corinthios priorem, eò quòd in ea tractentur varia & multiplicia capita quæ ad nostrorum temporũ cõtrouersias faciunt, sic vt huius epistolæ doctrina si commodè de-

xtreq; adhibita fuerit, omnibus vitijs quibus Ecclesiæ synceritas corrupta est, mederi posſit: & omnes abusus atq; superſtitiones Papisticas conuincere. Pontificij quorũ adhuc Oxonij magnus erat numerus, initiò quidem vtcunque patienter ferebant Martyrem docentem, & quidam etiam lectiones eius frequentabãt, & se illius eruditionem admirari præ se ferebant: alij verò ac præcipuè collegiorum præsides, suos arcebant à lectionibus, nihil tamen mouebant vlterius. Verùm posteaquam damnatis iam ante ipsorum votis, deinceps occasione verborum Apostoli de Cœna Domini tractare incœpit, existimarunt sibi nõ vlterius esse quiescendum. Etenim cum maiores ipsorum obscurata primùm, deinde deprauata doctrina huius dogmatis, in ecclesiam hac ianua erroris patefacta omnem superſtitionem & idololatriam inuexerint, non poterant ferre Martyrẽ, qui mirifico studio veritatem Eucharistiæ ab eorum erroribus & corruptelis vindicabat. Quo verò non modò inuidiam, sed graue etiam periculum illi crearent, eum apud vulgus primùm vsitatis criminationibus traducebant, quòd maiorum doctrinam impugnaret, ceremonias optimè cõstitutas conuelleret, sacrosanctũ altaris sacramentum prophanaret, & tantum non pedibus conculcaret. Deinde omnibus rebus compositis, ipso ignorante, omnibus templis schedas Anglico sermone conscriptas affigunt, postridie publicè disputandum esse contra præsentiã Christi in sacra Cœna. Die ergo sequenti hi auditoriũ occupant, operas suas idoneis locis disponunt, easq; ad clamores & tumultum, & ad pugnam præterea si vsus postulet paratas esse iubent. Concurrunt præterea audiendi causa, non tantùm studiosi ex omnibus collegijs, verumetiam pars non exigua concitati populi, partim vt euentum rei spectarent, partim etiã vt alterutri parti adessent, si fortè tumultus aliquis exoriretur. Martyr interea horum omnium ignarus sese domi parabat, vt hora constituta more solito lectionem faceret, cum interea amici permoti insolita concursatione populi, domum ad eum veniunt, ac illi omnẽ rem

exponunt,

exponunt, hortanturq; vt se domi contineat, neq; aliquod periculum sibi conciliet, quandoquidem aduersarij ita parati sint, vt potius videantur armis quã argumentis concertare velle. Respondet ille, se nõ posse officio suo deesse, & munus à rege demãdatum sibi, negligere, se nullius tumultus auctorem vnquã fuisse, cuius rei ipsi optimi testes esse possint: nunc quoq; se nolle aduersarijs tumultuandi occasionem dare, sed more solito legere velle, esse haud dubiè multos in hoc cœtu qui lectiones consuetas expetant, quos non possit negligere. Pergebat iam ad auditorium comitantibus illũ amicorum fidelissimis, cùm illi in uia obuius fit puer Smithæi, qui in hac tragœdia primas partes agebat, ac literas ei porrigit quibus ipsum herus suus ad disputandum prouocabat. Ibi tum amici rursus monere, rogare, hortari vt domum redeat, cõmemorare pericula quæ ipsum maneant, perstat tamen ille in sententia, pergit in auditorium ac prouocantes aduersarios modesta oratione compescens quantum poterat; respondet, se disputationem non recusare, sed nunc non disputandi sed legendi causa huc uenisse, atq; ita illis concedentibus lectionem more solito habet, magna omniũ admiratione. Quippè qui antè singularem doctrinã & eloquentiam admirati, nunc quoq; incredibilem constantiam & fortitudinem in ipso suspicerent. In tanto enim murmure populi & fremitu aduersariorum, ita lectionem absoluit, vt nulla mutatio vultus & coloris in eo esset, non hæsitatio aliqua vocis, non linguæ titubatio, non deniq; tremor membrorum aut pallor aliquam opinionem timoris præbuit. Finita lectione acrius instant aduersarij, & eum magnis clamoribus ad disputandum prouocant, neq; modestissimam eius excusationem recipiunt, quod se diceret disputaturum esse sed alio tempore, nunc se non esse paratum, cùm propositiones disputandas ita studiose occultarint, neq; more solito publicè proposuerint, vt eas ad hunc usq; diem ignoret: aiebant enim eum qui nuper causam Cœnæ Domini, tam multis lectionibus tractasset, non posse imparatum esse quæcunq; tãdem in hac ma-

teria quæstiones proponerentur. Tum ille cùm eum vrgere perseuerarent, denuò respondit, se primùm nolle inconsulta Regia maiestate tantam rem aggredi, præsertim cùm res ad seditionem spectare videatur. Deinde ad legitimam disputationem requiri, vt proponãtur certæ quæstiones, cõstituantur iudices & moderatores, quorum iudicio atq; arbitrio tota res gubernetur, deniq; requiri notarios qui utriusq; partis argumenta & orationes, bona fide iustaq; diligentia conscribant: cùm autem horum nihil nunc paratum & constitutum sit, se nec velle nec posse disputare, præsertim cum non satis temporis superfit, die iam in meridiem vergente, ad tantam rem excutiendam. Posteaquam verò his rationibus quamuis æquissimis aduersarijs non satisfiebat, & iam res ad pugnam & conflictũ spectare videretur, interponit se Vniuersitatis Oxoniensis Vicecancellarius (liceat enim mihi vsitata nomina retinere) & his conditionibus pugnã dirimit, vt vterq; Martyr & Smythæus cum aliquot socijs in ipsius ædibus conueniant, propositiones disputandas, tempus, ordinem & modum disputandi communi consilio constituant. Iubet deinde apparitores suos, Pedellos nominant, turbam summouere, & ipse ad suggestum accedẽs Martyrem manu illi porrecta è turba populi abducit, & domum vsq; comitatur, ac pro sua auctoritate tumultuantes compescit. Martyr liberatus ex hoc præsenti periculo, ne ideò quod causæ diffideret disputationẽ renuisse videretur, hora constituta ad domum Vicecancellarij venit, comitantibus ipsum cum alijs amicis, tum præsertim Sidallo & Curtopo, qui illi tempore eximij veritatis defensores erant, postea tamen Marianis temporibus eandem cõstantiam non retinuerunt. Facit idem aduersarius, & secũ adducit Colum Oglethropum & tres alios Theologiæ doctores. Diu inter eos de disputatione constituenda disceptatum est, Martyr enim æquum esse aiebat, ipsos in confutando eum seruare ordinẽ quẽ ipse tenuisset in docendo, idq; tandem obtinuit. Abhorrebat præterea à vocibus peregrinis, barbaris & ambiguis, quæ tamen in

scholis

scholis receptæ sunt, itaq, duabus tantum vsus est carnaliter & corporaliter, quoniam scriptura in Cœna describenda tantũ carnis & corporis, nõ rei & substantiæ meminit, attamen ne ambiguitate aliqua ludere ipsum existimarẽt, se illas accipere dixit, atq, si dictum esset realiter & substantialiter. Fuerunt etiam alijs de rebus dissensiones aliquæ inter ipsos, attamen cũ demùm de vniuersa ratione disputandi inter ipsos cõuenisset, omnia quæ tum constituta fuerunt, partium consensu ad Regiæ Maiestatis consiliarios relata sunt, vt illi de tota controuersia cognoscerent: ab his disputationis dies constitutus est quarto Nonas Maij, ad quem diem affuturi sint legati Regij, qui disputationi præsint. Verùm Smythæus conscius sibi tumultus excitati, non expectata die constituta, fuga se subducit, et in Scotiam primùm, deinde Louanium in Brabantiam abijt. Posteaquam verò præscripta dies adfuit, venerunt Oxonium Regij legati, R. D. Henricus Episcopus Lincolnienſis, D. Richardus Coxus Vniuersitatis Oxonienſis Cancellarius, D. Simon Haydes Decanus Oxonienſis. M. Richardus Morisinus Armiger, D. Christophorus Neuynſonus Iu. C. doctor. His præsentibus disputauit Martyr per quatriduum cum tribus Pontificiæ religionis Theologis, Treshamo & Cheadzeo Doctoribus, & Morgano artium Magistro. Quanta autẽ eruditione hos confutarit nõ necesse est à me cõmemorari, quandoquidẽ acta huius disputationis in omniũ manibus habentur. Nam Martyr quia aduersarij multa falsa & ficta de hac disputatione in vulgus spargebant, eorum improbitate & præterea amicorum precibus qui hoc assiduè flagitabant, coactus, disputationem hanc in publicum edidit: qua autem fide ac diligentia hoc fecerit ostendit testimonium Regiorum legatorum libro ab ipsis additum. Non multo tempore post hanc disputationem rustici per Denoniam & in Oxonienſi agro tumultum excitarunt, in quo cùm multi nominatim Martyri necem minarentur, cùm non modò docere sed ne tutò quidem uersari in vrbe posset, amicorum præ-

ſidio incolumis Londinum deductus eſt, non abſq; ſingulari regis gaudio, qui illum Richemondam venientem ex arce proſpiciens læto animo ſalutabat eiusq; incolumitati gratulabatur. Vxorem quoq; & familiam, quoniam domi tutò eſſe non poterant, amici occuluerunt, donec furioſa multitudo ſeditioſæ plebis, vrbe excederet. Nam à proceribus regni conſcriptis duobus exercitibus ſeditio breui compreſſa eſt, præcipuis eius auctoribus capitali ſupplicio affectis. Actum Martyr rurſus Oxonium ad ſolitos legendi & diſputandi labores redijt: quo tẽpore cùm Papiſtæ ſe diſputando dudum victos noſſent, & armis palàm congredi non auderent, noctu ſæpè tumultus aliquos ante ædes Martyris commouerunt, ac lapidibus nunc oſtium impugnarunt, modò feneſtrarum ſpecularia perfregerunt. Quamobrem Regia maieſtas, vt eius ſecuritati & quieti conſuleret, fecit eum Canonicum collegij Eccleſiæ Chriſti, & in illud collegium migrare iußit: aßignatis illi ſplendidis ædibus vnà cum amæniſſimo horto. Fuit in hoc collegio Decanus, facit enim veſtra in me audiendo benignitas, vt hæc quoq; minutiora perſequar, ac huius officij ratione et diſputationib. præerat, & præterea Doctores Theologiæ publico Academiarũ more promouebat. Ipſe quoq;, cùm ante Põtificijs priuilegijs doctoris gradũ haberet, denuò Oxonij ſolenniter doctor Theologiæ renuntiatus eſt. Habuit Martyr Oxonij amicos, vt breuiter dicam: omnes eos qui puram ac veram doctrinam amabant, &, ob eruditionem, alicuius nominis erant in illa Academia. Præterea Reuerendi Epiſcopi Hugo Latimerus, Nicolaus Ridleus, Ioannes Ponetius, Ioannes Hoperus, ex aula etiam generoſi ac magnifici viri Antonius Cokus, Ioannes Checus, Richardus Moriſinus, atq; alij complures quos nominare non neceſſe eſt, Martyrem non tantum diligebãt verumetiam amabant. Inter omnes tamẽ Reuerendiſſimus Thomas Cranmerus Cantuarienſis Archiepiſcopus & Angliæ primas ſingulari amore Martyrem noſtrum cõplexus eſt. Qui cùm ipſe doctiſſimus eſſet, Mar-

tyri

tyri tamen tantum tribuit, vt in rebus quibusque grauissimis eius consilio vteretur. Itaq; quotiescunq; vacationem aliquam à publicis docendi laboribus Martyr haberet, eum ad se vocabat, & sua de rebus grauissimis consilia cum illo conferebat: Ac posteaquàm à rege curâ conscribendi leges ecclesiasticas primum XXXII. deinde XVI. viris commissa fuit, effecit vt Martyr in horum numero vnus esset: ac tandem etiam cum munus hoc vniuersum uni Cãtuarienſi à rege fuisset commissum, tribus tantum ad id desumptis socijs, Gualtero Haddono & Rolando Taylero I. C. tertium voluit esse Martyrem. Horũ opera adiutus eas leges Ecclesiæ Anglicanæ præscripsit, quæ magnam etiam nunc laudem habent apud omnes pios & doctos. Fruebatur iam vniuersa Anglia pace & tranquillitate, & felix erat religione, & legibus optimè institutis, in tanta quoque totius regni felicitate Martyr non poterat non etiam felix & beatus videri, qui vteretur optimorum virorum, sanctißimorumq; Episcoporum amicitia, verùm omnia hæc subito Mariani regni tempestate mutata & euersa fuerunt. Pura n. religio è templis est eiecta, sancta Ecclesiæ politia deleta, legesq; illius abrogatæ sunt, optimi quiq; in carceres coniecti. In tanta rerum omnium mutatione Martyri docendi munere interdicitur, & denuntiatur præterea ne iniussu magistratus pedẽ moueat, neúe quid inde rerum suarum asportet, graui denuntiato periculo si id faceret. Paruit ille edicto, verùm cùm moram interponi uideret, de suo statu regni consiliarijs perscribit, petit si quid admiserit accusatorem sibi sisti & causam cognosci. Qui cùm nihil in eum statuere possent, discedendi potestatem illi faciunt. Quãobrem rectà Londinum proficiscitur, & illic Cantuariensem inueniens eum plurimùm suo aduentu recreauit. Venerat hic tum temporis Londinum, vt quæ aduersarij de ipso falsò in vulgus sparserant refelleret. Nam quia summa eius apud omnes erat auctoritas, per cõcionatores suos Pontificij apud plebem inuulgarunt, Cantuariæ ipsius mandato Missam restitutã esse, ipsum

quoq; pollicitum esse reginæ se Missam dicturum in funere regis: simul etiam de futura disputatione quædam iactabant. Hoc ubi resciuit ille, edito scripto sese purgat: testatur quoq; se paratum esse religionis formam ab Edoardo rege institutam, publica disputatione defendere. Si, inquit, nobis libertatem det maiestas Reginæ, ego cum Petro Martyre, atq; alijs quatuor aut quinq; quos mihi delegero, fauente Deo, confido nos omnibus approbaturos, non solum preces communes ecclesiasticas, & administrationem sacram, cum cæteris ritibus & ceremonijs: verùm doctrinam quoq; vniuersam, ac religionis ordinem constitutum à supremo nostro domino rege Edoardo sexto, puriora hæc esse, & verbo Dei magis consentanea, quàm quicquid mille retrò annis in Anglia vsurpatum nouimus. Tantùm vt iudicentur omnia per verbum Dei. Protestationem hanc & consilium suum cùm Martyri exposuisset, probauit ille, & ostendit se paratum esse disputationi, neq; vllum periculum nomine religionis velle defugere. Verùm dũ in hac disputationis expectatione sunt, Cãtuarien sis & Eboracensis Archiepiscopi, Londinensis præterea & Vuigornien sis Episcopi, in carcerem abducuntur: his.n. rationibus aduersarij cum illis disputare statuerant. Versabatur tũ Martyr in magno periculo cũ ob eandẽ religionem, tũ etiam ob familiaritatem & amicitiam horum virorum, neque hoc ipse ignorabat, verùm fretus sua innocentia, & quod in leges regni nihil commisisset, non discedendum putauit nisi missione impetrata. Quare causam denuò proponit Consiliarijs regni, ac se non priuata voluntate venisse in Angliam demonstrat, sed vocatum à Seren. rege Edoardo, & missum ab amplissimo magistratu reipublicæ Argentinensis, ac vtriusq; diplomata proferebat: cùm verò nunc sua opera vsui esse nõ posset, se dimitti postulabat. Quod postquam obtinuit, vix tamen credebant amici, etiam acceptis à regina literis, eum tutò posse discedere. Dicebant.n. eius aduersarij, tãtum Pontificiæ religionis hostem nõ esse è manibus dimittendum, sed vel ex ipsa naui in carcerẽ &

ad

ad supplicium retrahendum esse: monebatur quoq; vt sibi caueret ab insidijs, quæ si Oceanum traijceret, illi in Flandria & Brabantia paratæ essent. Verùm Dei beneficio cuncta hæc pericula, & certissimas insidias, admiranda ratione euasit. Cùm enim peregrinorum alij in Frisiam, nonnulli verò in Daniã discederent, nactus est ipse gubernatorem nauis hominem pium & metuentem Deum, qui eum in Anglico littore clàm domi suæ detinuit integris quatuordecim diebus, ac iam omnes tam amici quàm inimici eum cum cæteris peregrinis abnauigasse credebant, cùm ipse demum ex Anglia soluit, & gubernatore suo Antuerpiam noctu sui causa appellente, ab eo ad amicos est deductus, & ab illis ante lucem currui impositus, per regiones sibi infestissimas incolumis Argentinam peruenit, omnesq; aduersariorum insidias, Dei primum beneficio, deinde sua celeritate euitauit. Excepêre eum Argentinæ veteres amici viri optimi atq; doctissimi Sturmius, Sleidanus, Zanchus, Herlinus, Dasypodius, Sapidus, Hubertus & reliqui, magna lætitia. Quo.n. in maiori periculo ipsum versari nouerant, eo salus ipsius, & inopinatus aduẽtus, maius gaudiũ illis adferebant. Senatus quoq; cùm eius virtutem & doctrinam optimè nosset, iussit illi quamprimum reddi pristinum locum, quem ante discessum in Angliã habuerat. Interea verò nonnulli, qui illi malè vellent, de eo siniſtros rumores spargebant, quòd in doctrina de Cœna Domini à sententia Augustanæ confessionis discessisset, ideoq; timendum esse, ne aliquas in ecclesia turbas excitaret. Admonitus ergo huius rei ab inimicis, Senatui scripto oblato sese purgat, & docet, confessionem Augustanam & alias quæ ab ea non discrepent, si rectè atq; commodè intelligantur se libenter amplecti, profiteri, ac si opus fuerit velle pro viribus tueri. Promittit deinde per se nullas lites aut contentiones excitatum iri. Imò si locus aliquis pertractandus sit in scripturis, aut quæpiam alia necessitas requisiuerit, vt circa huiusmodi quæstionem suam sententiam explicet, id se facturum cum omni modestia, & citra cuiusquam

amaram insectationem. Quæ verò sua sit sententia, ex libellis, inquit à se iam editis facilè posse cognosci, quibus hoc scripto seu promisso nil detractum seu immutatum velit, quoad per scripturas diuinas edoctus aliter esse cognouerit. Et quia præter Augustanam confessionem, à quibusdam proferebatur concordia inita inter D. Bucerum & D. Lutherum eorumque symmistas, respondit se huic non subscripsisse, quòd per verbum Dei & cõscientiam dare nequeat, destitutos vera fide, percipiendo sacramenta corpus Christi sumere. Addebat autem non debere hoc illis mirum videri quod assentiri nollet, cùm ipsemet D. Bucerus in Argentinensi schola secus docuerit, dum Acta Apostolorum explicaret. Idemq; cum esset in Anglia (quod ex quibusdam eius articulis ostendi possit) longè aliter scripserit: & quidem rectè. Nam cum fides vnicum sit instrumentum quo à nobis Christus ipse, corpus & sanguis eius percipiuntur, ea submota os corporis nil nisi sacramentum corporis & sanguinis percipere, panem inquam & vinum instituto domini consecrata. Quemadmodum etiam ætatis adultæ homo si absque fide ad baptismum accesserit, nihil dicitur præter sacramentum, hoc est aquam & ecclesiæ preces, habere. Siquidem nullus dum non credit gratiam regenerationis adipiscitur: ita etiam citra fidem neminem ad communionem corporis & sanguinis Christi aditum habere. Vt enim dicit Augustinus, manducare & bibere nihil aliud est quàm credere. Postremò addebat, se vereri ne concordiæ huic ad se allatæ subscribendo videatur ecclesias Tigurinã, Bernatem, Basilienſem, Geneuensem, Lausanensem & Anglicanam, omnesq; per Italiam & Galliam dispersos fratres damnare, quòd sanè per verbum Dei & charitatẽ erga eos sibi non liceret. Proinde vt Saxonicas ecclesias omnesq; illis consentientes veneretur & suspiciat, sic & alias quas commemorauerit se amplecti in domino ac vehementer diligere. Non.n. hanc quæstionẽ tanti esse, vt inter fideles communionem & charitatem soluere debeat. Hoc eius seu scripto seu promisso Senatus Argentinensis,

qui

qui Martyrem mirificè amabat, contristari fuit, reliquis dierum clamoribus accusationibus. Restituto itaq; pristino muneri Iudicum librũ interpretandi est. Et quia tum idoneo philosopho professore schola destituebatur, decretum fuit vt duo Theologi, sicut sacras literas, ita quoq; Aristotelis philosophiam alternis septimanis docerent, itaq; Martyr laborem hunc non defugiens Aristotelis libros de moribus ad Nicomachum interpretari cepit, & in eorum explicatione in tertium usq; librum progressus est. Collega verò eius, is autem erat D. Hieronymus Zanchius, Martyri amicissimus & qui illum ex Italia ut diximus secutus est, libros Aristotelis de natura sibi interpretãdos desumpsit. At verò aduersarij illius & malemulti, de quibus supra diximus: etsi palàm sese illi non opponerent, quocirca tamen clàm & quasi per cuniculos cum oppugnare non cessabãt. Nam & per literas, & in lectionibus atq; cõuentibus suis eũ ita apertè perstringebant, vt iniqua accusationis nubil ausi Martyrii nomen deesset. Quin & è studiosis quidam publicè in schola orationem de eucharistia habuit, in hoc compositam, vt Martyrũ & doctrinam illius ex professo damnaret. Quare cùm animadverteret aduersarios quotidie apertum bellũ contra se gerere, & se nominatim libellis perstringere, vt etiam Sleidanus in sua historia commemorat, de discessu secum deliberare cepit, cũ subitò diuinitus occasio opportunissima illi oblata est. Nam cùm apud nos moretur eo tempore esset vir optimus & sanctissimus Conradus Pellicanus, amplissimus Tigurinæ reipublicæ Senator, de voluntate ministrorum ecclesiæ illi Petrum Martyrem substituit, & ea de re cum ad ipsum, tum etiam ad amplissimũ Senatum Argentinensem literas dedit, quibus ipsum Tigurum mutuo postulabat. Fuit hoc vocato Martyri gratissimum: quãuis enim Argent. Rempub. amaret, & eo se multa debere agnosceret, quæ tamen conversatio hanc Sacræ annotationis quotidie maiori cum molestia acerbitate agitari videbat, gaudebat sibi occasionem datam esse, qua se posset turbis eximere. Itaq; cùm à

Magnifico Illustriq; Senatu de sua voluntate rogatus esset, nihil dissimulans ostendit missionem sibi fore gratissimam, ac prolixè testatus de suo in Remp. animo: quo minus cum ipsis manere posset, ideò fieri inquit, quòd videat se hoc tempore nõ posse apud ipsos habere eam quam cupiat docendi, disputandi, & scribendi libertatem. Vt autem hanc appetat se primùm sua vocatione vrgeri, & minis etiam atq; comminationibus percelli. Deinde se vereri iudicia grauissimorum virorum qui sua scripta legerint & se docẽtem audiuerint, si veritatem aliàs usq; ad capitis periculum defensam, nunc multiplicibus & varijs modis clàm & palàm oppugnatam, suo silentio non tantum deserere sed quasi prodere videatur. Ab his.n. quorum aliqui ob hãc eandem causam vel ignibus cremari voluerunt, vel adhuc superstites magna cũ vtilitate ecclesijs Christi præsunt, se non posse nisi grauiter coargui, vt vel qui à sententia vera defecerit, quòd inconstantiæ crimen in homine Christiano minimè ferendũ sit, vel qui tacitus velit præterire quæ ad salutem conducere & necessaria esse non ignoret. Cum itaq; Deus velit vt suam doctrinam vniuersam, & fide amplectamur & profiteamur: se hãc conditionem in qua nunc uersetur non posse salua conscientia retinere, nisi sibi quæ scripto petierit concedantur: neq; hoc iniquũ esse, vt tantum sibi liceat, quantum alij sui ordinis cum in concionibus tum in scholis liberum sibi volunt. Proinde cùm munus suum necessariò libertatem in docendo postulet, quam tamen ipsi certis de causis, quas non dubitet grauissimas esse, hoc tempore concedere nolint aut non possint, rogare se vt bona ipsorũ venia sibi eò quo vocetur concedere liceat. Ostendit præterea nullam spem conciliationis per colloquium aut aliam viam sibi affulgere, si quid tamen instituatur, se etiamsi alibi agat non defuturũ suo officio. Senatus qui Martyrem amabat, & eum certis conditionibus retinere voluisset, cum videret ipsum in hac sententia persistere, sibi verò non integrum esse hoc tẽpore hanc quàm petebat docendi, disputandi, & scribendi libertatem illi concedere, in-

re, multo animo eum dimisit. Discessit itaque Argentina tertio Idus Iulij, anno partæ salutis M. D. LVI. magno cum dolore & gemitu bonorum omnium, quibus gratus, charus & reuerẽdus fuit, cum ab eximias virtutes, summum ingenium, & doctrinam singularem, tum etiam ob morum facilitatem summãq; concordiam, quàm cum omnibus bonis & doctis perpetuo coluit. Tigurum cùm venisset vnà cum Cl. viro Ioanne Iuello Anglo, qui nunc Dei gratia est Saruburiensis Episcopus: magna gratulatione exceptus est à Senatu, à schola, ab ecclesiæ ministris, deniq; à bonis omnibus. Cum autem ad Bullingerum veterem suum amicum diuertisset, donec familia, hoc est Iulius cũ vxore sua & filiolo ipsum sequeretur, ita vterque alterum ab eo tempore cõplexus est, vt quamuis antea summa inter eos fuisset coniunctio, ea tamen ex hac familiaritate accessione magna aucta sit, & ita confirmata, vt eam ad obitum usq; absq; ulla uel minima alicuius offensionis suspicione cõseruarint & auxerint. Sunt autem hæ amicitiæ firmissimæ, quas virtutum & studiorum similitudo coniungit: quæ cùm summa fuerit inter ambos, ac talis vt vterq; alterum non modò amaret verumetiam obseruaret, non mirum est arctissimam quoq; eorum coniunctionem fuisse. Quòd verò amarit concionatores & collegas cæteros, atq; fratrum quasi loco habuerit, quod item iuniores filiorum loco semper complexus fuerit, cùm omnibus notum sit, non necesse est vt in hac re explicanda tempus teram. Et qui hæc minus perspexerunt, quanta in eo fuerit suauitas in conciliandis sibi hominum animis vel hinc conijciant, quòd eum non tantum collegæ in schola & ecclesiarum ministri, at cæteri qui ipsum quotidie docentem audierunt, amarunt, sed etiam in senatu & in plebe optimus quisq;, cùm neq; docentem audire neq; loquentem intelligere possent, sic tamẽ eum coluerunt, vt vix alium è præcipuis in republica viris: id quod testata est omniũ ordinum frequentia, quam heri in illius funere vidistis. Declarauit etiam suam in eum voluntatem amplissimus Senatus, quando eum vnanimi

consensu honoris ergò ciuitate donauit. Quamuis enim lege lata cautum esset ob immensum ciuium numerum, ne quisquam eo anno & proximo in ciuitatem reciperetur, eam tamen in tanto viro seruare noluerunt, quòd rectè existimarent, non legi sed potius vrbi nostræ fieri iniuriam, si talis vir nobiscum quasi peregrinus & hospes maneret, & non inter ciues censeretur. Erat eo tempore Martyr quo Tigurum venit adhuc cœlebs, sed tãdem ab amicis persuasus, cùm ipse singulari liberorum desiderio teneretur, eoq; magis quod ipse solus ex florente quondam Vermiliorum familia superstes esset, vxorem alterã ducere statuit, sexto anno post primæ vxoris mortem. Erat in ecclesia Italica Geneuæ virgo Brixiensis honesto genere nata Catharina Merenda, quæ illuc religionis nomine venerat, hanc Martyr optimorum virorum & totius Ecclesiæ testimonio commendatam, vxorem sibi coniunxit. Suscepit ex hac Eliperium filiolũ, & altero partu filiam Gerodoram, qui tamen ambo in prima infantia mortui sunt. Eandem reliquit grauidam, quæ vtinam uolente Dño filium posthumum pariat qui superstes aliquando patrem nobis eruditione & pietate referat. Quantum autem amarit & quanti fecerit hanc Rempublicam & Ecclesiam ex eo colligere potestis, quod cùm sciret se vxorem relinquere grauidam, testamento cauit vt partus posthumus, si modò vitalis sit, nusquam alibi quàm apud nos educetur. Eandem eius voluntatem & amorem ex eo quoq; quod iam commemorabo conijcere potestis. Altero postquam ad nos venerat anno, Geneuæ mortem obijt vir clarissimus Maximilianus Celsus Martinenghi Comes, qui Italicæ ecclesiæ in ea vrbe præfuerat. Sunt autem in illa ecclesia multi & præclari viri, qui deserta Italia Geneuam tanquam in asylum & tutissimum portum piorũ hominum sese contulerunt, atq; inter hos multi sunt Lucenses viri primarij ex ea republica, quorum pleriq; Martyris in Italia discipuli fuerunt, & ipso doctore ad agnitionem Christi peruenerunt. Quamobrem cùm alius in locum Maximiliani demor-

tui

sui substituendus esset, summa omnium voluntate & consensu, ardentissimisq; studijs Martyr electus fuit, ac seniores Ecclesiæ datis ad ipsum hac de re literis, eum non tantum rogabant verumetiam obtestabantur vt hanc vocationem ratam haberet: idem agebant Angli veteres illius amici, ex quibus multi præclari viri tum Geneuæ exulabant religionis nomine: idem quoq; modestè ab eo petebat Ioannes Caluinus, non Geneuensis tantũ sed vniuersæ ecclesiæ ornamentum. Dicebant esse in ea vrbe & ecclesia optimam Italiæ partem, plurimos item ipsius discipulos qui eius aduentum expectent, plures etiam in eius aduentum ad viam sese parare. Commemorabant electionis pulcherrimã formam, pulcherrimas inquam χειροτονίας toties à Spiritu sancto approbatas, dispositissimas item suffragiorum distributiones, in quibus omnia summo ordine optimoq; cõsilio facta sint. His addebant tantum esse tamq; ardens totius ecclesiæ desiderium, vt hunc ducem, pastorem, præceptorem adipiscantur, vt nisi votis potiatur dolore eam debilitari quodãmodo necesse sit. At Martyr etsi paratissimus erat suæ gentis hominibus inseruire, nihil tamen suo arbitrio statuendum esse existimauit, sed rem integrã ad Senatum nostrũ & ecclesiæ ministros retulit: & quia illi vocationem hanc ratam non habebant: quod uiderent se quidem Martyrem hoc tempore absq; singulari detrimento scholæ & ecclesiæ non posse dimittere, fratres aũt Geneuæ in ecclesia Italica habere multos & bonos & doctos viros, quos optimè in locũ sanctissimæ memoriæ Maximiliani Celsi possint substituere: ipse quoq; huic eorum voluntati & iudicio suam voluntatem libenter accommodauit. Quin etiam cum postea annis aliquot interpositis, veteres amici oblatis ampliss imis conditionibus ipsum in Angliam reuocarent, & adderent, Reginam modò de eius voluntate certa fiat, paratam esse misso ad id legato ipsum in Angliam euocare, rursus ut ante ecclesiæ & reipublicæ nostræ moderatorum iudicio acquieuit. Quis hic non amplecteretur eius amorem erga nostram ecclesiam & rempublicam, reueren-

atq; Admirallio principibus, quibus à Senatu Martyrem sibi mitti postulabant, & simul mittebant tabulas publicæ securitatis seu salui conductus, vt nostri viderent nihil periculi subesse. Quare cùm res videretur non negligẽda, Senatus vocationi assensit, & Martyrem se itineri accingere iussit. Redibat fortè eodem tempore in aulam vir clarissimus Matthæus Cognetius regiæ maiestatis apud Heluetios legatus, qui Martyrem in suũ comitatum recepit, & saluum Lutetiam Parisiorum deduxit. Inde ad aulam profectus à fratribus humanissimè exceptus est, & salutatis Serenissimo rege Nauarræ & illustrissimis principibus Condæo & Admirallio ad illustrissimam Reginam Galliæ vocatus est, quam postquam consueta reuerentia salutasset, & de suo aduentu verba fecisset, hortatus deinde est eam ad promouendam puram religionem. Docebat.n.pia reformatione ecclesiæ ipsam non solum regno Galliæ consulturam esse, sed toti Europæ, quòd omnes in regnum Galliæ oculos coniecissent. Imminere quidem & offerre se grauia pericula, sed non timendum esse, quod semper Deus adfuerit principibus huic rei studẽtibus, Asam, Iosaphatum, Ezechiam & Iosiam iuuisse, qui correxerunt populum cùm idololatria prorsus corruptus esset. Constantium cùm haberet collegas imò superiores Diocletianũ & Maximianum, ausum esse Christum amplecti. Constantinũ in grauissimis periculis pacem dedisse ecclesiæ, qui collegam sortitus erat Licinium Christianis inimicum. Quod si Deus istos iuuit, eum non fore sui dissimilem, verùm eundẽ qui prius fuerit. Addebat reges potissimum in hoc Deo seruire oportere, vt eorum opera pro illius non pro hominum voluntate colatur. Nunc uerò id unum maximè studendum vt religio & sacer. cultus ad prima initia reuocetur, & superstitiones inductæ remoueantur. Deum quidem potuisse absq; principum opera id facere, & aliquando fecisse, verùm ordinaria via ita principes decreuisse illustrare. Quare illos decere non obliuisci se positos non minus prioris quàm posterioris tabulæ custodes, ideoq; non licere eis su-

ram diuini cultus prætermittere. Subijciebat præterea eos non esse audiendos qui affirmant ad principes hoc non attinere, cùm in Deuteronomio longè aliter statuatur, & Paulus velit magistratum esse promotorem bonorum operum, inter quæ diuinus cultus primum locum tenet. Regina se veritatis studiosam esse testabatur, atq; ideò etiam pro ipso misisse vt consilium daret quomodo posset iniri concordia, ita vt absq; aduersariorum offensione pax habeatur, nunc enim tot esse discordias & seditiones in regno causa religionis, vt admodum turbetur. Ad id Martyr liberè respondit, etsi nihil boni sibi de aduersariorum voluntate posset promittere, se tamen non negare benignè ac dulciter cum illis agendum esse, modò nihil de veritate imminuatur aut decidatur. Non mirum autem esse discordias aliquas oriri, quandoquidem Christus talia euentura prædixerit in Euangelij prædicatione, professusq; sit se venisse vt gladium non pacem immitteret, ac ignem accendisse, neq; aliud velle nisi vt ardeat. Neq; posse religionem puram ac veram instaurari ac retineri citra crucem: ideò illum aiebat oportere forti animo esse, ac syncerè istam prouinciam aggredi, & Deum iuxta sua promissa non defuturum, qui leniat mala & patientiam largiatur. Præterea aliquoties interrogatus à Regina quodnam consilium haberet de rerum compositione, respondit, sibi non aliud occurrere nisi vt liberè sineret Euangelicos ad sacros cœtus conuenire, dando eis templa in quibus haberentur sacræ conciones. Nã si hoc efficeret, veritatem sese vltrò patefacturam, nec opus fore colloquijs aut disputationibus. Postremò cũ rogaretur quid de Augustana confessione iudicaret, respondit, sibi videri nobis debere sufficere verbum Dei, quòd ibi omnia luculenter contineantur quæ ad salutem faciant. Neq; n. si ea confessio recipiatur conciliationem secuturam cum Romanensibus, cùm illam ũt hæreticam proscripserint. In eandem sententiam Regi Nauarreno & alijs magnis in aula viris respondit, qui eisdem re rebus ipsius sententiam quærebant. Secuta deinde est actio publica,

ad

ad quam Cardinales & Episcopi Martyrem non admittendum esse censebant. Regina tamen eum venire voluit. Habuit in hac actione orationem Cardinalis Lotharingus, quam etiam postea in publicum edidit, in hac multa de sua ecclesia dixit, ut quæ haberet successionem continuatam, manuũ impositionem & coleret Christum sine idololatria. Negauit Dei ecclesiam tantũmodo ex electis constare, quod alioqui esset futura inuisibilis, & homines de illa semper fore incertos. Præterea subiecit concilia errare non posse, neq; doctrina, neq; moribus, sed multa immutare pro temporum varietate. Et ecclesiam ipsam affirmauit ante scripturas esse, atq; illarum interpretationem ab ecclesia petendam. Diuertit posthac ad rem sacramentariam, & de transubstantiatione atq; Missa nihil dixit, affirmauit autem corpus Christi præsens adesse, non quidem localiter nec circumscriptiuè, sed cælesti modo & ut loquebatur, supersubstantialiter. Cũq; perorasset, conuertit se ad Reginam matrem & Regem, eosq; genibus flexis orauit vt in ea fide permanerent in qua nati & baptizati essent, atq; simul obtulit cum suis Episcopis omnia officia, obsequia, & obedientiã. Interpositis deinde aliquot diebus Beza pro sua singulari eruditione Cardinalis Lotharingi orationẽ publicè grauiter confutauit, Cardinalis uerò se illi opposuit atq; petijt vt nostri aut confessioni Augustanæ subscribant, aut breuem propositionem de Cœna Domini à se allatam recipiant, nisi enim hac in re conuenirent, se nolle vlterius agere & colloqui: quærebat.n. studiosè causas abrumpendi colloquij. Siluit in hac actione Martyr, quòd omnia Gallicè agerentur: verùm cùm denuò conuenissent, admonitus à fratribus, permissu quoq; Reginæ etiam ipse Italica lingua multis contra Lotharingum egit. Qui tamen congressum detrectare videbatur, & causabatur Martyrem Italicè locutum esse, quasi nõ intellexisset, dicebatq; se malle agere cũ homine suæ linguæ, attamen ad quædam ab eo allata conatus est respondere. Quin & quidam Hispanus magister ordinis Iesuitarũ, Italicè orationem contra nostros habuit,

cui paucis Beza respondit. Martyr verò rursus de Cœna aduersus Cardinalem disserere cœpit, sed quia nox imminebat & præterea actio turbulenta erat, ita vt nec ipse Cardinalis clamoribus abstineret, eo die nihil ulterius actum est. Posteaquam verò aduersarij frustra reluctantibus nostris, obtinuerunt, vt colloquium inciperetur ab articulo de Cœna Domini, electi sunt ab vtraq; parte quinq; collocutores, aduersariorum quidem Valentinus & Sagensis Episcopi, Botillerius, Saligniacus, & Depensius doctores: ex nostris autem Beza, Marloratus, Spina, Dominus de Sola & noster Martyr. Egerunt hi soli absq; ullis iudicibus, adhibitis tantum duobus notarijs: ac primùm diligenter petebant, vt aliqua formula proponeretur, qua de præsentia corporis Christi in Eucharistia inter partes posset conueniri, cumq; multa vltrò citroq; fuissent allata, Martyr quoq; interrogatus breue chirographum suæ sententiæ proposuit, quæ tamen episcopis non satisfecit, quod nimis ieiunam esse dicerent, nostrarum verò partium collocutores Martyri adhæserũt. Disceptatum deinde est inter eos de hac quæstione per aliquot dies, & tandem noua formula conscripta est in qua posset vtraque pars conuenire de præsentia corporis Christi in Cœna, atq; huic vtriusq; partis collocutores assenserũt & subscripserunt. Martyr verò cùm videret ibi quædam esse ambigua, testatus primùm se non recedere à sensu prioris chirographi quod illis tradidisset, ipse vnà cũ Beza & reliquis nostrarũ partium collocutoribus, posteriori formulæ breuem declarationẽ adiecit, vt remota ambiguitate aduersarij viderent quis nostrorum sensus esset. Cardinales verò & Episcopi posteaquam illis relatum est collocutores de hoc articulo conuenisse, improbarunt ea quæ à suis collocutoribus gesta erant, imò ipsos hæreseos insimularunt, itaq; eorum opera colloquium ad aliquot dies suspensum est: iam enim cum sua voluntate, tum etiam instigatione legati Pontificij [illegible] erant colloquium abrumpere. Interea verò Episcopi canones aliquot conscripserunt, & tandem 19. Octobris Cardi-

nales

nales Guisiaci & complures quoq; Episcopi ex aula discesserũ è nostris etiam collocutoribus, cũ nulla aut exigua spes esset colloquij restaurandi, plerique ad suas ecclesias redierunt. Edebantur interea decreta quibus nostri iussi sunt templa reddere, illis tamen libera facultas prædicandi concessa est, & loca assignata in quibus conuenirent, certo tamen numero præscripto. Arma deinde vtriq; parti ablata sunt, & edictum ne quis alteri religionis nomine conuitietur. Quamobrem cùm Martyr videret se hic nihil amplius agere posse, præsertim cùm Gallicæ linguæ exiguum vsum haberet, missionem petere statuit, eoq; nomine Condensem principem accessit, & ab ipso deinde ad Reginam ductus est, apud quam verba faciens, primum inquit nos oportere Deo reddere, quæ sunt Dei & principibus quæ sunt eorum, his de causis se huc uenisse, ut quoad Deum, religionem promoueret: deinde vt obsequeretur Regiæ eius Maiestati: quòd tamen eo libentius fecerit, quòd insignita sit præclarissimis virtutibus de quibus omnes honorificè loquantur, præterea quod regnum sit præstantissimum, & sibi ac illi sit communis patria: & maximè omnium vt magistratui Tigurino pareret, qui optimè animatus sit aduersus Regem & Reginam. Id aũt non esse contemnendum, cum sit inter Heluetios non paruæ authoritatis & potentiæ. Deinde adijciebat se in negotio colloquij nihil interm̃isisse quod putaret ad rẽ facere, egisse placidè vt iusserit. Quòd autem res non sit ulterius producta, per se non stetisse, non tamẽ defuturum fructum suo tempore, quamuis iam non habeatur. Nunc autem quando nihil agatur se petere missionem, quòd sit senex, iam autem instet hyems, quo tempore iter sit futurum incommodum ob pluuias, niues, & dies contractiores. Præterea quod audijsset se delatum eius maiestati, quasi huc venerit peregrinus, nec aliud spectarit quàm seditiones in regno excitare, quod his malis gauderet, rogabat ne facilè talia de se crederet, eò quòd sit homo ab ijs flagitijs prorsus alienus. Fuisse enim se Argentinæ, deinde in Anglia, ac rursus Argentinæ & denique

Heluetia, inde illam posse instrui, si fides sibi non habeatur, se semper quæsiuisse pacem & concordiam quantum per verbum Dei fieri posset. Ostendebat præterea nihil fuisse quod eum ad hoc faciendum posset inuitare: nam quoad regnum se illi à maioribus suis vehementer fuisse addictum: quoad Reginam multo minus, cùm sit ex sua patria & tanquam lumen & splendor eius, vnde se erga illam sic esse affectum, vt vitam pro eius dignitate ac salute libenter positurus sit, si res id exigat. Et inter cætera quæ desideret inter prima esse, vt salua sit cum filijs eius & regno Galliæ. Id cùm ita sit, petebat vt se non in mala sed in bona gratia dimitteret. Ad hæc Regina benignè & clementer illi respondit, gratias illi egit quod venisset, & missionem tutam ac securam promisit, idq; intra biduum. Rogabat præterea si rursus opera eius peteretur ob hanc eandem causam, ne detrectaret subire iter denuò. Se quidem non ignorare magnum esse laborem, sed reputare illum & vtilem & necessarium. Quoad aliorum crimmationes, se quidem multa audire inquit, varijs de rebus, sed reseruare semper sibi iudicium: ac testabatur se omninò benè de ipso existimare. Martyr adhæc illi vt par erat gratias agens, simul quoque pro afflictis ecclesijs rogabat, excusans quod contra regis voluntatem templa occupassent: nam cũ audiuissent regem velle ea restitui illi paruisse: addebat etiam si quid interdum committatur à rudibus & infirmioribus, id doctrinæ non imputandum esse. Postquam à Regina dimissus fuisset, Regina quoq; Nauarræ atq; Rex humanissimè illi valedixerunt, idem fecerũt Condæus princeps atq; Admirallius: præterea Regina mater & omnes iam nominati principes literis ad Senatum Tigurinum datis, illi quod Martyrem ad colloquiũ misisset, prout petijssent ab eo, gratias egerunt, & simul Martyrem meritis laudibus ornarunt. Adiunxerunt quoq; Condæus & Admirallius Martyri discedenti duos ex suis familijs nobiles & militares homines, qui eum incolumem Tigurum reduxerunt. Possem hoc loco Auditores recitare literas princi-

pum

pum & doctorum quibus ampliſſimas laudes religionis, doctrinæ, fidei, & induſtriæ in illum congeſſerunt, ſed me & temporis & inſtituti mei ratio his immorari non patitur. Itaq; quoniam hactenus expoſui quibus in locis docendo atq; diſputando eccleſiæ Dei inſeruierit, deinceps exponam quantum eidem ſcriptis ſuis contulerit. Primùm itaq; poſteaquam Italiam deſeruit, edidit patria lingua expoſitionem Symboli Apoſtolici, vt omnibus fidei ſuæ rationem redderet. Deinde cum in Angliam veniſſet, & in explicatione vndecimi capitis prioris Epiſtolæ ad Corinthios, multa diſſeruiſſet de Cœna Domini, tandem ſub finem capitis quæſtionem hanc ex profeſſo tractauit. Atq; primum refutauit eam coniunctionem qua panis & uinum vulgò dicuntur tranſſubſtantiari in corpus & ſanguinem Chriſti, quæ videtur ſumma copulatio cum rebus ſacramenti. Deinde excuſſit aliorum ſententiam quæ ſtatuit panem & vinum quoad ſuas integras & veras naturas in ſacramento retineri, & ita retineri ut ſibi adiunctum (vt loquuntur) naturaliter, corporaliter & realiter, verum corpus Chriſti & ſanguinem habeant. Tertio loco eorum ſententiam expendit qui dicunt iſta minimè inter ſe coniungi alia ratione quàm ſacramentali, id eſt per ſignificationem & repræſentationem. Poſtremò indicauit quomodo ex opinionibus pertinentibus ad ſecundam & tertiam ſententiam eliciatur quod magis videatur ad pietatem facere in hoc ſacramentali negotio. Tractationem hanc vnà cum diſputatione, quam eum publicè hac de controuerſia habuiſſe ſupra oſtendimus, in Anglia primùm in lucem edidit. Eodemq; tempore commentaria in primam Pauli epiſtolam ad Corinthios, Tiguri apud nos excudi voluit, opus certè ob multarum abſtruſarum & difficilium quæſtionum perſpicuam explicationem lectu digniſſimum. Poſtquam uerò ex Anglia Argentoratum redijt, & poſtea Tigurum vocatus eſt, nactus apud nos non tantùm aliquid otij, ſed etiam adeptus eam quam expetebat ſcribendi libertatẽ, multa quæ ante vel conſcripſerat vel inchoauerat, recognouit, ab-

soluit, & in publicum edidit. Ac primùm commentaria in epistolam D. Pauli ad Romanos, quam antea Oxonij publicè interpretatus fuerat, de quo libro hoc tantùm dicam, eum magna eruditione & diligentia hoc consecutum esse, ut omnes fateantur post tot doctissimos interpretes, veteres & recentiores qui in hãc epistolam scripserunt, nihilominus librum hunc cum magno & peculiari fructu legi posse. Eodẽ tempore ab ipso edita est Defensio doctrinæ veteris & Apostolicæ de sacrosancto Eucharistiæ sacramento aduersus Stephani Gardineri librum. Nam ille ante annos complures librum virulentum & pestiferum de Eucharistia sub nomine M. Antonij Cõstantij ediderat, in quo meris sophismatis & contortissimis fallacijs conatus est labefactare veram & orthodoxam doctrinam, quam à Christo & Apostolis atq; antiquissimis ecclesiæ patribus acceptam hodiè sequimur & profitemur. Atq; ad hunc librum conscribendũ complurimi Papistarum suas operas contulerunt, & Gardinero omnia sua argumẽta tradiderũt, ut ille ex aceruo deligeret quicquid vellet: & de hoc libro triumphabant, & gloriabantur neminem esse qui cũ hoc suo Goliatho auderet congredi. Quibus rebus commotus doctissimus iuxta ac sanctissimus vir D. Thomas Cranmerus Archiepiscopus Cantuariensis, qui antea sæpè cum Vintonienſi congressus, cum victoria & summa cum laude discesserat, hanc prouinciam in se suscepit. Verùm cùm in carcere arctissima custodia obseruaretur, & non modò librorum copia, sed ne charta quidem illi ad scribendum suppeteret, & nostremò morte sæuissima quam in veræ fidei confessione constanter tulit sublatus esset, opus quod iam habebat præ manibus, coactus est inchoatum relinquere. Quamobrem multi ex Anglis pij & veræ religionis amantes viri, Martyrem sæpè coram & per literas hortati sunt, ut illi in hac prouincia succederet, neq; pateretur contagione venenati huius libri simpliciorum animos infici, & Pontificios adeò impudenter & arroganter nostris insultare. Itaq; amicorum precibus & rei ipsius æquitate incitatus,

tus, opus hoc aggressus est, & superatis varijs ac multiplicibus impedimentis Tiguri absoluit, & typographis excudendum cõmisit. Defendit aũt primùm in hoc libro rationes nostrorum hominum vndecunq; à Gardinero collectas & confutatas. Deinde etiam regulas, quas ipse in sua Tractatione de Eucharistia ediderat, contra eiusdem calumnias tuetur. Tertiò eas responsiones propugnat quibus aduersariorum argumenta in hac disputatione dilui solent. Postremò asserit iustas verasq; interpretationes certorum locorum, quos ex Patribus Gardinerus cũ suis pro se attulit. In vniuerso aũt opere quicquid de tota Eucharistiæ causa cùm in sacris literis, tum in antiquorũ Patrum Conciliorumq; monumentis proditum est, tam copiosè & diligẽter complexus est, & singula tam accuratè & subtiliter excussit, vt hoc opus etiã non mediocriter doctis admirationi sit. Secuta deinde est hanc contra Gardinerum defensionem, alia Defensio contra Richardi Smythæi Angli, olim Theologiæ professoris Oxonienſis, libros duos de Cælibatu sacerdotum, & votis monasticis. Nam cùm Martyr Oxonij priorem epistolam ad Corinthios interpretaretur, & in 7. cap. vbi Apostolus de virginitate atq; matrimonio permulta scribit, de uotis quoq; copiosè disputasset, Smythæus cui ipse iussu regis ad profitendas sacras literas surrogatus fuerat, aderat assiduè, & ea quæ à Martyre dicebantur non tantũ attentè audiebat, sed etiam diligenter literis consignabat, ac deinde Louanium profectus, duos ineptos attamen venenatos libellos, de Cælibatu sacerdotum & votis monasticis, contra Martyrem edidit. Huic in commentarijs epistolæ ad Corinth. Martyr non potuit respondere, nam vrgentibus amicis & flagitantibus, eius libri editionem differre nõ licebat, attamen responsionem hanc in septimi capitis fine pollicitus est, ac breui pòst otium nactus illi respondit: sed certis de causis grauibus & magni momenti, demum post aliquot annos, cùm Tiguri esset, hanc responsionem in publicum edidit. Refutat autem non tantùm Smythæi rationes, sed omnia ferè quæ in

hac causa dici possunt, diligenter & accuratè excussit, quod testari poterunt omnes qui hunc librũ nõ obiter euoluerint. Praeterea Argentina postquam eò ex Anglia reuersus fuisset, Iudicum librum interpretatus est, & commentaria in eundem apud nos, vt nostis, edidit, in quibus quæstiones Theologicas nõ vbiq; obuias quàm plurimas explicauit, & librũ verè aureum, quem tamen multi propter difficultatem & obscuritatem singularem refugiebant, allato interpretationis lumine plurimum illustrauit. Postremùm cùm Ioannes Brentius libellum edidisset de Personali unione duarum naturarum in Christo, in quo ille ad asserendam carnalem & corporalem atq; realem presentiã corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna, nouã & portentosam doctrinam de Vbiquitate corporis Christi defendendam suscepit, Martyr rogatus ab amicis dialogo edito libellum eius confutauit. Et quia agnoscebat Brentium alijs scriptis non omninò malè de Ecclesia meritum esse, nomen eius apponere & eum nominatim infamare & traducere noluit, præsertim cum hoc nihil ad causam faceret, sed argumenta eius ne imperitis fucum facerent, copiosè diluit: deinde id quod caput causæ erat, Christi humanitatem non esse vbiq;, firmissimis sacræ scripturæ & vetustissimorum Patrum testimonijs cõprobauit. Excitatus hoc scripto Brentius, edito libro vehementi & aculeato, Martyrem simul & Bullingerum vno impetu prosternere conatus est. Quem librum cum vidisset Martyr noster, homo alioqui naturæ placidissimæ nonnihil tamen indignabatur, Brentium causam non bonam fide etiam adeò non bona agere, vt non dubitet & se & nostros omnes accusare quod impugnent gloriam & maiestatem Christi, negent Dei omnipotentiam, cùm tamen omnibus notum sit, ita vt ne Brentius quidem ignorare possit, his cõtraria nostros docere. Dolebat illi plurimum hominem alioqui magnum, & qui Ecclesiæ posset esse vtilis, tam pertinaciter tueri dogma, absurdum portentosum & planè nouum, quod nullis euidentibus scripturarum testimonijs, nulla Patrum ac veteris

Ecclesiæ

Ecclesiæ auctoritate nitatur, & quod neq; Papistæ, qui multa confinxerunt ad tuendam carnalem crassamq; præsentiam corporis Christi in Cœna sacra, vnquam ausi fuerunt approbare. Nam, vti referebat, cùm in Galliam, quando colloquium habebatur, Brentiani quidam libelli allati fuissent, præcipui Pontificiorum Theologorum apertè dixêre, hoc Brentij dogma nouum & inauditum & planè hæreticum esse. Quamobrem sese iam accinxerat vt criminationibus Brentianis, quæ multæ & graues erant, atq; argumentis eius non ita multis, diligenter & accuratè responderet: verùm proh dolor inopinata morbi vi nobis ereptus, quod statuerat, efficere non potuit. Qui tamen casus vtcunq; ferri posset, quod & Bullingerus nostræ ecclesiæ pastor, qui cum illo respondendi laborem partitus fuerat, suo studio & labore, & præstanti præterea doctrina vtriusq; laborem fortiter sustinebit, & solus satis erit ad vtrunq; defendendum: & præterea argumenta Martyris, quæ ille plurima in suo dialogo protulit, stant adhuc firma, & hac impressione Brentiana non labefactari, nedum prosterni potuerunt. Illud potius dolendum est, non potuisse Martyrem absoluere alia & præstantiora opera, quæ magnam vtilitatem vniuersæ Ecclesiæ poterant afferre. Iam enim ab annis aliquot interpretatus est, vt nostis, duos Samuelis libros, & nunc Regum primo libro absoluto in secundo versabatur, atq; ea quidem quæ legit, etsi non omnia ab ipso recognita sunt, talia tamen sunt, vt cùm edita fuerint, quod breui futurum erit, volente Domino, vix quisquam extremam eius manum in his desiderare possit: ea autem quæ in secundo Regũ libro desunt quis perficiet? quis hanc quasi Venerem Apellis manu inchoatam absoluet? Quis commentaria in Genesim, in Exodum, in Leuiticum, in Prophetas minores, in Ieremiæ lamentationes, ita recognoscet vt eam dignitatem, eum splendorem habeant ac si ab ipso emendata, recognita, & edita fuissent? Quid dicam de grauissimis maximarum rerum disputationibus, quid de commentarijs Aristoteleis, &,

alijs quæ ille inchoata & imperfecta reliquit. Antequam enim hæc non dico recognoscere posset, verumetiam penè antequam mandare posset quid de his vellet fieri, grauis & inopinati morbi vi oppressus & nobis ereptus est. Nam cùm huius mensis quinta die agrotare cœpisset, duodecima eiusdem ex hac vita migrauit. Fuit iã ante valetudine tenui & infirma cùm ob affectam iam ætatem, tum quòd curæ & sollicitudines variæ & præsertim magni dolores quos ex afflicto statu Ecclesiæ Gallicæ accipiebat, vires eius sensim consumerent: quare cum eum inuasisset morbus epidemicus, quem multi vestrum experti sunt, facilè naturam ante exhaustam superauit. Nos tamen quia hactenus morbus hic nemini lethalis fuerat, de Martyre quoque primis diebus nihil metuebamus. Spem etiam nostram ipse confirmauit, nam tertio & quarto die postquam eum morbus inuaserat, rursus ad sua studia redijt, & statuit postera die, cùm eius vices essent, publicè docere, quamuis ego repugnarem eumque monerem vt valetudini parceret, me enim eius vicè lecturum, neque dubitare auditores habita ratione valetudinis illius hoc facilè passuros: ille tamen contra sese satis firmum existimabat, & nisi quid aliud accideret, postridie docere velle inquit. Verùm ea ipsa nocte febris redijt, eumq; grauius quám ante inuasit, catharri quoq; interea augebantur, & simul tussis illi permolesta erat, itaq; quamuis amici iuberent eum bene sperare de valetudine, & medici etiam aliquam spem facerent, ipse tamen mortem instare præsagiebat, ac hac de causa testamentum pridiè antequam obiret condidit, & vocato vicino suo viro ornatissimo D. Bernhardo Sprünglio quæstore, quem vxori grauidæ tutorem dederat, me id in eius præsentia recitare voluit, & ab eo petijt, vt operam daret quo Senatus illud sua auctoritate confirmaret. Nocte deinceps quæ eum diem consequuta est, satis benè quieuit, & morbus aliquantulum remisisse nobis videbatur, sed reuera uis naturæ à morbo superata illi non amplius reluctabatur. Interea verò quotidie amici eum

inui-

inuisebant, cum quibus ille antequam difficultas oppediret, non minus iucundè variis de rebus colloquebatur, quam si nullo planè morbo infestaretur. Nam & de morbi vi & natura ex medicorum arte, in qua non indiligenter versatus fuerat, cum ipsis medicis qui amicitiæ & officij causa quotidie illum inuisebant, disserebat. Et quia plerisq; noctibus non insuauiter dormierat, beneficium hoc Dei amicis prædicabat, & ex Physicorum præceptis commemorabat somni naturam, & efficaciam in toto corpore suauiter quasi irrigando. Sæpè etiam de tussi querebatur, quæ totum corpus, maximè tamen caput & pectus læderet, ac aliquoties testabatur, se quoad corpus quidem malè habere, optimè autem quoad animum. Atque tum si cœpisset uel fidei suæ rationem exponere, uel commemorare quibusnam consolationibus animum suum erigeret, planè in hac re diuinus erat. Pridiè verò antequam moreretur, cùm illi noctu essemus amici aliquot, & inter hos Bullingerus præcipuè, iacebat aliquandiu secum meditabundus, tum ad nos conuersus, voce satis clara testabatur se vitam & salutem in vno Christo agnoscere, qui solus à patre seruator humano generi datus sit, atque hanc suam sententiam rationibus & uerbis scripturarum explicabat & confirmabat, addens postremò, Hæc est fides mea, in hac ego moriar, eos autem qui secus docent & homines aliò auocant Deus perdet. Atq; his dictis manum separatim singulis porrigens, Valete, inquit, fratres & amici charissimi. Alio item die cùm Bullingerus inter alia consolationis causa è Paulo dixisset, nostram politiam in cœlo esse, agnosco inquit ille, sed non in cœlo Brentij, quod nusquam est. Et huic quidem se libenter et ex animo ignoscere dicebat, optasse tamen si ita Deo visum fuisset, illi respondere, cùm infirmiorum causa, tum vt falsissimas contra se calumnias refutaret. Et vt summatim dicam, cum toto morbi tempore erant eius sermones reliquæ vitæ anteactæ similes, pleni nempè religione, fide, pietate, humanitate, tum maximè quo magis properabat.

iunoi cum Christo, eò magis diuinum quid, opus & energia scilicet sancti spiritus, in eo relucebat. Verumtamen eo die quo obijt ob vehementiam defluxionum magnam sentiebat difficultatem respirandi, & cum molestia loquebatur, quamuis voce veteretur submissa vix vt posset intelligi, itaque eo die non ita multa locutus est. Erat tamen hora fortè diei decima cùm ab eo discesserant medici, redituri post meridiem, cùm ille se è lecto tolli, & more solito indui iussit, ac aliquantulũ pransus, sedens quiescebat: sic tamen vt in aliquem amicorum astantium caput reclinaret, quòd non posset id cõmodè ob uim morbi erigere: deinde vti erat vestitus in lectum reponi & quiescere voluit. Accesserunt interea eum medici, aderant illi frequentes amici, cùm alij tum pastor & seniores Ecclesiæ Italicæ, cum quibus pauca locutus, rursus è lecto se tollj, & in eadem sede reponi petijt. Discesserant iam ab eo plerique ex amicis, vt commodius quiesceret, medici quoque abierant, quorum aliqui noua quædam remedia quæ illi adhiberẽt parabant: cùm ille ita sedens uestitus uti quotidiè solebat, tenui uoce Deo spiritũ suũ cõmendans animam agere cœpit: aderat adhuc illi Conradus Gesnerus, & præter vxorem duo adolescentes illi familiares, à quibus statim Bullingerus & reliqui amici qui viciniores erant vocati sunt, his præsentibus extremum spiritum exhalauit, tanta quidem tranquillitate, vt non animam agere sed obdormiscere videretur, & vt non mortuum sed viuentem adhuc eum nobis assidere, cernere nos arbitraremur. Oculos morienti compressit Bullingerus, eumque sepulchrali veste induit, & amicus homini amicissimo vltimum hoc pietatis officium magno interea & incredibili dolore perculsus præstitit. Atq; hic quidem, Auditores, exitus vitæ fuit Præceptoris nostri, viri omnium quos ego nouerim optimi & sapientissimi atque iustissimi: verè enim hoc de illo dicere possum quod de Socrate suo Plato scriptum reliquit. Exposita est uobis vita eius: obitus etiam qualis fuerit audiuistis: superest extremum illud quod fortè à me

expe-

expectatis, vt dolorem quem ex morte eius percepistis verbis lenire coner: verùm ego quî hoc possim, qui præcæteris singulari mœrore conficior? Sed hic illius virtus sumenda vobis est, qua ille polluit plurimum, & fortiter superanda aduersa omnia, & quod tempus efficeret, idipsum efficiat in vobis ratio bonis artibus informata, & quod summum est diuinis literis instructa, vt dolori & mœrori modus aliquis statuatur. Et quoniam in vera firmaque fide ita piè & Christianè decessit è vita, vt nefas sit dubitare illum summas calamitates & miserias huius vitæ, cum cœlesti & sempiterna beatitudine & felicitate commutasse, nostrum est qui eum amamus magis lætari summo illius bono, quàm vllo nostro commoueri incommodo: præsertim cùm habeatis ingenij pietatis & doctrinæ eius tam præclara monimenta, vt eorum assidua lectione non modò dolorem lenire, verùm ipsum quoque optima sui parte præsentem semper habere possitis. Atq; equidem si ex his quæ sæpè ex eo viuente audiuimus, quis eius post mortem sensus sit colligere possumus, nihil neque coram Deo sanctius, neque ipsi acceptius facere potestis, quàm si eam quam ab ipso didicistis doctrinam, puram & inuiolatam firmiter retineatis. Vos verò Auditores, iuniores præsertim, quorum oculos perstringit nominis illius gloria, eisdem vestigijs illuc contendite, quo ipsum peruenisse admiramini. Vigilijs, laboribus, studio, diligentia, assiduitate eadem ornamenta doctrinæ & eruditionis vobis comparate: coniungite studijs vestris religionem, pietatem, fidem, modestiam, temperantiam aliasque virtutes, quibus ille excelluit. Quas si ego non omnes oratione complexus sum, vos tamen qui eas nostis, animo illas complectimini: & vt præclarum imitationis exemplar nunquam ab oculis animoque recedere patiamini. Quoniam verò clarorum & virtute præstantium virorum obitus, non solùm ipsorum amissione, verumetiam ominis ratione Reipub. periculosus est: vt talè omen ab Ecclesia tua auertas te æterne ac cœlestis pater supplex precor. Respice quæso pusillum tuum gregem & eum

ſicuti promiſiſti regito, & aduerſus lupos defendito: da illi non mercenarios ſed fidos paſtores, qui ad ſalubria paſcua & fontes aquæ viuæ oues tuas ducant, & animam ſi opus ſit pro illis ponant. Nobis quoq; ô Pater optime ſi non alterum Martyrem, quandoquidem id vix petere audemus, aliquem ſaltem dato doctorem, qui tuo ſpiritu afflatus quàm proximè ad incomparabilem eius doctrinam, & diuinas atque immortales virtutes accedat. Quodque ego nunc precor, idipſum Auditores, vos & nunc in fine orationis huius, & poſthac indeſinenter ardentibus votis ſupplices à Deo Patre Domini noſtri Ieſu Chriſti petitote.

AMEN.

SCRIPTA QVAEdam D. Petri Martyris Vermilii Florentini, de causa Eucharistiæ, nunquam antehac edita.

EPITOME Defensionis aduersus Stephanum Gardinerum.

CONFESSIO de Cœna Domini exhibita Senatui Argentoratensi.

SENTENTIA de præsentia Corporis Christi in Eucharistia, proposita in colloquio Poissiaco.

EPISTOLA de causa Eucharistiæ, ad Virum quendam magni nominis.

CARMINA DOCTORVM ALIQVOT VIRORVM IN Obitum eiusdem conscripta.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO D. IOANNI PARKHVRSTO Anglo, Dei gratia Norduicensi Episcopo, Domino suo colendissimo, IOSIAS SIMLERVS S. D.

SI QVIS unus ex omnibus reuerende Pater, controuersiam quæ est inter summos Theologos de Christi seruatoris nostri præsentia in sacra Cœna, diligenter & exactè cognouit atq; tractauit, hūc ego Petrū Martyrē fuisse existimo. Nā primùm in ea tēpora incidit, quando multis iam libris editis tota hæc causa diligenter excussa & quasi uentilata fuit. Deinde tantā diligentia & industria in hac causa uersatus est, ut omnia omnium hac de re scripta quæcunque habere potuit, diligentissimè legerit. Attulit præterea ad causę cognitionem singularem eruditionem & excellens ingenij acumen, memoriam uerò incredibilem & propemodum infinitam, itaque promptissimè semper & acutissimè singulas rationes perspicere & ponderare consueuerat, & ea quæ semel cognouerat nunquam ex animo & memoria sua effluere patiebatur. Accessit his omnibus assidua & penè quotidiana docendi atque disputandi consuetudo. Nam & Argentorati & postea etiam in Anglia, sæpè multumq; de hac causa familiariter cum D. Martino Bucero Theologo longè acutissimo contulit. Præterea cùm in Anglia uestra, tum etiam nuper in Gallia, de hac ipsa controuersia cum præcipuis Romanarum partium Theologis disputauit: Quæ cùm ita sint, nemo puto negabit eius scriptis in hoc genere plurimum tribuendū esse. Ex quibus cùm alia maioris operis scripta iam olim euulgata sint, hęc parua opuscula quasi appendicula maiorum operum, nunc primùm in lucem prodeunt. Cùm enim multis desit tempus & ocium euoluendi prolixiora uolumina, & illis etiam qui ocio abundant, utile sit breuem aliquam summam habere certorum capitum, ad quæ omnia argumenta, quæ alioqui certo numero comprehendi non possunt, reducant, existimaui hæc scripta quæ & totam controuersiam sacramentariam perspicuè & breuiter explicant, & argumentorum omnium fontes & certa capita indicant, studiosis hominibus grata & accepta fore. Quamuis autem à Martyre non in hunc finem scripta sint ut in publicum edantur, sunt tamen nihilo-

nihilominus talia quæ multum iuuare possint etiam mediocriter eruditorum studia, etsi enim fortè non ita polita sunt ut illa quæ ipse edidit, facilè tamen apparet hæc ex eadem officina profecta esse. Mitto autem illa ad te reuerende Pater, non quod studia tua his scriptis iuuari posse existimem, cùm tantam habeas huius controuersiæ peritiam, quãtam uix in paucis quibusdam reperias: sed ut habeas à me hæc quasi κείμηλια quædam Martyris nostri, quæ tibi leniant dolorem, uel potius mœrorem, quem opinione omnium maiorem te ex optimi atq; amicissimi hominis obitu accepisse non dubito. Solent alij amicorum quos amiserunt uestes, arma, annulos, pocula atque ipsa etiam mortuorum ossa conseruare: nonnulli desiderium suum solantur aureis, aut argenteis, aut etiam pictis amicorum imaginibus, ego uerò si modo rectè animum tuum perspexi, arbitror te inprimis affici ingenij reliquijs & effigie animi, quam scripta authoris multo uerius & exactius exprimunt, quam ulla pictorum aut sculptorum ars. Addidi præterea his de Eucharistia scriptis Carmina aliquot, quæ V. CL. Conradus Gesnerus, Vuolfgangus Musculus, Rodolphus Gualtherus, & reliqui quorum nomina carminibus addita sunt, homines tibi noti & tui amantes in obitum Martyris conscripserunt. Existimo enim te si quid ocij habueris à studijs atque occupationibus grauissimis, quibus perpetuo distineris, hæc quoque non illibenter lecturum. Præsertim cum in iuuentute tua Musas poëticas studiosè & feliciter colueris, id quod ingenij tui præclara monimenta testantur. Cupio autem hac quasi publica testificatione declarare meam in te obseruantiam, qua te non tantum ob eruditionem singularem, & amplissimam dignitatem colo & reuereor, sed etiam ob amorem et beneuolentiam summam qua me hactenus complexus es. Te autem reuerende Pater rogo ut hoc meę in te uoluntatis testimonium, . par, faceor, magnitudini amoris & meritorum in me tuorum, non asperneris, hæc enim scripta etsi exigua sunt, sunt tamen scripta ab hominibus tibi amicissimis, & mittuntur tibi ab homine tui amantissimo atque studiosissimo, qui te omnibus rebus ornatum esse & florere ex animo cupit. Deus te incolumem quam diutissimè Ecclesiæ suæ conseruet. Datum Tiguri pridie nonas Ianuarij.

1563.

EPITOME IN DEFENSIONEM D. PETRI MARTYRIS aduersus Steph. Gardinerum, ab ipso Martyre concinnata.

RES *Eucharistica quatenus eam nobis Dominus tradidit, cùm facilis tum simplex est cognitu. Hæc si diuinarum literarum arbitrio sensuq; tractaretur, habereturque humanæ ratio naturæ Christi, atq; sacramenti receptæ definitionis: in ea vel intelligenda uel tractãda, nihil planè laboraretur. Sed contentione atq; aduersariorum contigit importunitate, ut iam cæco labyrintho quodam impeditior euaserit, parumq; absit quin altercãdo ueritatem amiserimus. Illi enim ut sententiæ orthodoxæ & perspicuæ non concedant, imò præ illa quibuscunque modis prodigiosa inuenta sua tueantur, omne genus fuci, cauillationum, atq; impostura adhibuerunt. Proinde cùm à me hisce diebus captionum & sophismatũ quibus utuntur, cõfertissimis aciebus sedulò occurreretur, & ea qua potui diligentia responderetur: volumen propemodũ immensum creuit. Veritus ergo ne pij homines lectione admodum prolixa nimis fatigati, redeant item incerti, atq; antea fuerint, quàm ad meum librum euoluendum accederent: (Nam rationibus vtrinq; auditis eisq; subinde recentibus ac nouis, fieri non potest, quin succedentia præteritorum memoriam obscurent, aut tantum non obliterent) statui quadam Epitome vel Resolutione, quam Græci ἀνάλυσιν vocant, rem ipsam sub oculos totam ponere, vt lecturi mea, quiq; ea vel nunc legunt vel iam perlegerunt, in promptu & ad manus habeant certa quædam capita non minus dilucida quàm breuia, ad quæ disputationis iam editæ cum argumẽtã tum responsa facilè referre que-*

I verò ni fallor eius disceptationis lectoribus non minus ento erit quàm nautis, dum per altum mare huc & illuc

iactantur

iactantur incerti, cynosuræ aspectus. Quod itaque à me bono amicoq́, sit animo, velim omnes bonos & pios in bonam partem accipere. Methodumq́ à me sic excogitatam quàm attentissimè considerare, ac deinde ex verbo Dei de illa sententiam candidè ferre. Sed pluribus nolo præfari, cùm in Epitome consectanda sit breuitas quàm maximè.

VERBA Cœnæ accipienda esse Tropicè.

Primùm quidem in Sacramento Eucharistiæ panem & vinum, quæ diuinæ literæ, Patres ac sensus ibi verè adesse testantur: Corporis & sanguinis Domini signa esse affirmamus, non vtiq́ prophana & vulgaria, sed quemadmodum in cæteris mysterijs assignari consueuerunt. Aduersarij nostri è diuerso corpus & sanguinem Christi propriè & verè illa esse prædicant. Rogamus, quî sciant? Quoniam, inquiunt, Christus dixit, Hoc est corpus meum. At nos dictum seruatoris nostri ea loquendi formula seu tropi genere, interpretamur, quo in sacramẽtis præsertim, signarerum ipsarum quæ significantur vocabulis appellari solent. Nostræ huic sentẽtiæ illi refragantur, aiuntq́, Christi verba non tropica sed propria omninò & simplicia esse.

A nobis obijcitur nullam esse certam rationem ex Euangelica historia, quæ verba illa simpliciter intelligenda conuincat. Nam cùm Cœna Domini à Matthæo, Marco, Luca & Paulo explicatur, ibi permulti deprehenduntur tropi. Calix dicitur nouum Testamentum: nec ipsum tamen poculum nec is qui in eo continetur liquor est re ipsa testamentum. 1

Indignè sumentes affirmantur iudicium sibiipsis edere, ac bibere, at propriè iudicium nec edi nec bibi potest. 2

Est verò longè alienum à corpore Domini vt verè comedatur, quia nephas est ipsum omninò frangi, dentibus commoli atq́ dissolui. 3

Dixit seruator noster, cùm eidem mensæ accubuisset, vehe- 4

menter se desiderasse illud pascha vnà cum discipulis manducare. Nemo verò ignorat non ipsum פסח *id est Domini transitum, sed agnum, qui ut eius symbolum adhibebatur in ea solennitate comedi solitum fuisse.*

5 *Quoties, inquit in epistola ad Corinth. priore, biberitis hoc poculum, &c. Num poculum? an non potius quod in eo infusum est haurimus? Paulus itaq; tropo quàm vsitatissimo sic est locutus. Quamobrem in Cœna Domini referenda, cùm spiritus sancti scribæ, permultis orationibus tropicis fuerint usi, & id de quo agimus, nempè, Hoc est corpus meum, figurato sermone ab eis fuisse dictum quid prohibet?*

6. *Mitto alias permultas diuinarũ literarum sententias quas ab omnibus pie sentientibus per tropos constat exponi. Etenim si velim eas commemorare, iam non Epitome sed iustus liber esset conscribendus. Cùm itaq; nostram hanc sententiam sic interpretamur, nihil vel nouum vel à sanctis scripturis alienum comminiscimur.*

7 *Quod verba quæ apud Paulum & Lucam de calice scribuntur Tropicè sint enunciatâ, vt iam docuimus, neminem inficias ire meritò posse, quis attentus lector non videat. Vnde quæ scripserunt Matthæus & Marcus de eadem re tropicè accipienda erunt, nisi quis neget priora ex posterioribus esse exponenda, scripsisse verò Paulum & Lucam post Matthæum & Marcum nemo ambigit.*

8 *Atqui quod Matthæus & Marcus de sanguine tradunt vt simpliciter dictũ, intelligi nõ potest. Ita scribunt illi,* Τοῦτο ἐστὶ τὸ αἷμά μου, *iam verò quid pronomen* τοῦτο *aliud referre potest quam poculum? Siquidem illud Christus & in manibus accepisse & apostolis dedisse commemoratur, nec Lucas & Paulus aliud asserunt, cùm dixisse Christum tradunt, Hic calix nouum Testamentum est, &c. Poculum autem quis ausit dicere sanguinem esse? Expendantur ergo verba Matthæi & Marci ex vna parte, ex altera Lucæ & Pauli rectè, & negetur Tropus, si possis.*

Ipsi

Ipsi aduersarij etsi præoptant inseruire potius opinioni suæ 9
quàm veritati, verba Domini tamen absq; Troporum adminiculo interpretari non possunt. Ostendendo quippè Sacramento Eucharistiæ, non licet ipsis de eo toto pronunciare, Hoc est 33
corpus meum: pudeat ergo eos nos eius criminis reprehendere, cuius ipsi accusari iure & meritò possunt.

Ipsa porrò sacramenti definitio, quod sacræ rei sit signum, & 10
gratiæ quæ non videtur, visibilis forma, nostram sententiã maximè propugnat, efficitur enim ex ea publicè recepta definitione, ea quæ in Eucharistia videntur corporis & sanguinis Domini signa esse, nisi velimus ipsam Eucharistiam ex albo sacramentorum expungere. 1

Nec enim aliter exponi queunt formulæ dicendi, quibus di- 11
uina scriptura vtitur, cùm de parte sacramenti aspectabili, rem ipsam quæ significatur pronuntiat. Circumcisio enim quî fœdus Domini vocaretur nisi eam signum ipsius esse dixerimus? Paulus huius sententiæ est author, qui circumcisionem σφραγῖδα &
id est sigillum vel signum iustitiæ per fidem adeptæ appellat. Baptismus quoq; regenerationis lauacrum dicitur: Et agnus in veteri Testamento, sicuti antea demonstrauimus פסח *vocabatur.*

Accedant & patres qui non semel disertis verbis tradunt, 12
Christum sui corporis signum dedisse, figuram dedisse, Corpus suum repræsentasse, Typum & ἀντίτυπα esse illa quæ à nobis videntur corporis & sanguinis Domini. Cyprianus, Cyrillus, Augustinus, Theodoretus, & Gelasius quam apertissimè docent ista signa vocabulo rerum significatarum nuncupari. Cùm ergo diuinæ literæ in hoc sacramento tradendo tropos admittãt, eos ipsa natura sacramentorum exigat, Patresq; manifestissime recipiant, nos quod vtamur tropica interpretatione in verbis Domini exponendis accusabimur?

Allatæ iam rationes tantum apud nõnullos valuerunt (quæ 13
est vis veritatis) aduersariorum, vt ea quæ in hoc sacramen-

to sensibus obuia fiunt, nimirum panem & vinum, signa corporis & sanguinis Christi esse fateantur, hac tamen lege, vt significatas res in sese præsentes habeant. Sed hoc à vero longè alienissimum esse permultis rationibus ostenditur.

VERBORVM Christi tropus non exigit corporis & sanguinis eius realem & substantialem præsentiam.

1 Primùm scripturæ diuinæ tradunt Christum quo ad humanam naturam hinc abijsse, eius in cœlum ascensionem, vt in articulo fidei continetur statuunt. Asserunt Christum dixisse nos eum non semper nobiscum habituros, verùm oportere cœlum vsq; ad extremum diem illum continere, vt inde tandem ad iudicandum veniat.

2 Deinde non conuenit humano corpori, vt sit eodem tempore in multis locis, nec etiam concedi potest vt præsens sit in mundo citra locum, pugnant enim hæc omninò cum definitione humani corporis. Nisi velimus ergo verum Christo adimere corpus, cauendum ne illud in multis locis vel diffusum vel præsens simul esse affirmemus.

3 Ne id quidem Angelorum, vt ita dicam, essentia, quæ mole corporis priuatur, habet, vt eodem tempore simul diuersis in locis esse possit.

4 Quin & ipsa Dei natura si esset corporea, haudquaquam euitare posset, quin & partitionem & definitionem admitteret: hæc porrò cùm ita sint, quemadmodum plenissimè attestantur Patres, omninò efficitur, vt Christi corpus ijs adiunctis atque proprietatibus sit obnoxium.

5 Nec ipsa postulat sacramentorum natura, vt res significatas vel sibi cohærentes habeant, vel eas in seipsis contineant. An in circumcisione diuinum fœdus claudebatur? sanè præterierat, & cum patribus initum fuerat antequam Abrahamo præciperetur circumcisio: & si quid eius fœderis extabat, id totum

in

in mente diuina & fidelium animis retinebatur. In carne verò non ipsum, sed eius signum à Deo mandatum gestabatur. Agnus iuxta Paschalis, transitum Domini quo ad rem in se ipso non claudebat. Quis etiam diceret carnem & sanguinem Domini vel in aqua deserti, vel in manna clausa fuisse, & in aqua baptismi spiritũ & gratiam inuisibiliter delitescere? Quod si cæteris sacramentis non tribuitur, & quidem ex eorum natura, vt res præsentes habeant vel sibi cohærentes, vel in seipsis clausas, nec de Eucharistia aliter statuere debemus, si nobis eius ratio & proprietas cum cæteris sacramentis constare debet, maximè verò cùm de ea præsentia verbum Dei nihil huiusmodi tradiderit.

Præterea cùm Paulus priore ad Corinth. scribat, veteres 6
nobiscum eundem cibum spiritualem comedisse, & eundem spiritualem potum nobiscũ bibisse, Carnẽ verò & sanguinem Christi haudquaquã præsentia habuerint, cùm nondũ extarent, isti verò in Eucharistia præsentia hæc statuant, sequitur planè non esse nobis eadem sacramenta cum veteribus contra Pauli sententiam. Symbolis minimè conueniunt: Manna enim illi & aquam, nos verò panem & vinum habemus. Rebus etiam significatis sunt diuersa, quia illi res significatas absentes, vtpote futuras, fide percipiebant, hi verò res cum symbolis præsentes se percipere dicunt. Nullum porrò maius discrimen in his sacramentis excogitari potest, quàm cum signis tum rebus significatis dissidere. Quin ergo potius cum Paulo dicamus, rebus significatis veterum sacramenta cum nostris eadem esse, quanquam signa sint diuersa, & eodem modo nempè fide & spiritu à nobis & illis percipi: illi enim carnem & sanguinem Christi vt pro nobis danda erat, fide percipiebant, nos verò vt iam data, fide & spiritu complectimur.

Euitari quoq; non posset quin tam impij quàm pij carnem 7
& sanguinem Domini comederent & biberent, si aduersariorum admitteretur opinio: id quod apertè refellit Christus author sa-

cramentorum in Euangelio Ioan. cap. 6. vbi carnem & sanguinem suũ fide edi & bibi ait. Fide ergo cùm destituantur impij & à Christo alieni, quam communionem quæso habeant cum carne & sanguine Christi? Symbola sanè tantum ore percipere valent, & ad ipsorum quidem condemnationem, siquidem neq; Christus in eis neq; in Christo ipsi manent.

8 Rogandi sunt etiam isti qui statuunt in hoc sacramento Domini sanguinem præsentem adesse: qua ratione quoúe colore sacrificium, vt vocant, suum ausint incruentum appellare? Profectò si Domini sanguinẽ vt Chrysostomus hyperbolicè scripsit, è latere Domini fluentem in suo calice volunt excipi, enitantur quantum volunt sciunt & possunt, quia cruentum potum hauriant nunquam efficient.

9 Est verò & illa pugnantium natura, vt de eodem subiecto nunquam simul, hoc est eodem tempore affirmari possint. Quãobrem Christi corpus cum sursum tum deorsum, visibile ac inuisibile, vnum & multa, mortale simul & immortale, fractũ & integrum simul esse non potest. Hanc rationem nobis non finximus, sed hausimus à Christo, ab Angelis, Apostolis, Patribus, & ipsa natura. Contestantur enim hi omnes hæc nequaquam simul esse posse. Porrò longum esset referre quot in locis & scriptis suis patres, hanc Domini secundum carnem absentiam asseuerent.

10 Quasi verò etiam hæc ab istis iactata & propugnata præsentia carnis & sanguinis Domini in Eucharistia dũ ipsa peragitur, vel maiorem vel præstantiorem, vel ullam aliam nobis adferre possit vtilitatem, quam non ex perceptione spirituali, qua vti sæpè diximus, fide ac mente peragitur, assequamur.

11 Illud postremò querimus ab aduersarijs nostris: An corpus Domini absq; sanguine in pane & sanguinem in vino absq; corpore statuant. Hoc si dicant Christi naturam humanam per duas mysterij partes distrahunt, quod citra impietatem cõmitti non potest, cum sanguis & corpus in natura humana Christi, coniunctione perpetua sint vnita, sin verò dixerint ea simul esse,

ac suas nescio quas concomitantias finxerint, id saltem effugere non poterunt, quin corpus Christi congeminent, totum videlicet sub pane totumq; sub vino, vel quemadmodum volunt sub eorum accidentibus constituentes.

Accedit postremò, verbis Christi minus quàm sit in partibus sacramenti de illis pronunciari, cùm de pane solum corpus & de vino tantùmmodo sanguinem prædicent. 12

Hæc præcipua & summa sunt capita quæ in libro meæ defensionis contra Gardinerum continentur, quo ad nostræ partis argumenta & confirmationes attinet. Nunc verò id reliquum est, vt nonnulla dicta seu certas quasdam sententias candido lectori proponam, ex quibus non tantũ argumenta nostra propemodum omnia deducuntur, verumetiam rationes aduersariorum facilè dissolui possunt, atque tota hæc disceptatio tum dilucida tum facilis euadit.

Christus in sacra Cœna panem ipsum corpus suum, & vinum sanguinem suum appellauit. Quî fit vt verba eius, Hoc est corpus meum, simpliciter & absq; Tropo accipi nequeant, siquidem nec panis & vinum propriè & verè corpus & sanguis Christi esse possunt. 1

Hæc verba, Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus, tropicæ sunt dicendi formulæ, quibus Dominus ea quæ significantur, de symbolis externis pronunciauit. 2

Edere carnem seu corpus Christi, & bibere eius sanguinem, & credere, hæc pro nobis in precium redemptionis fuisse data, & istis quà pro nobis in cruce oblata fuerunt coniungi. 3

Christi natura humana ab ascensu in cœlum vsq; ad extremum eius aduentum, quo mundum iudicabit, nusquam alibi est quàm in cœlis. 4

In eucharistiæ fideli sumptione corpori & sanguini Christi nõ tantum ãio seu mẽte per fidem copulamur, sed spiritus, gratia ac virtutis dñi nostri participes euadimus, nõ sanè vi operis, sed ex ipsius bonitate, ac fideli promissione, cui fidelẽ assensum cõmunicando præbemus. 5

6 *Impij homines ipſam Chriſti carnem & ſanguinem haud quaquam comedunt & bibunt, niſi quatenus externa ſigna, panem inquam & vinum, quæ ſuo quodam modo ſunt & dicuntur corpus & ſanguis Chriſti, vſurpant.*

7 *Chriſto non minus in Baptiſmo iungimur quàm in Euchariſtia, quare par vtrobiq; illius præſentia & perceptio nimirum ſpiritualis ponenda eſt.*

8 *Patres in veteri Teſtamento corpus & ſanguinem Chriſti, quod ad rem ipſam attinet, non ſecus ac nos edebant & bibebant.*

9 *In ſacra Cœna fideles corpus & ſanguinem Domini verè ſumunt, at ſpiritualiter, hoc eſt fide quo ad mentem atq; animũ.*

10 *Corpora noſtra corpore ac ſanguine Chriſti ſuo quodam modo aluntur, & ad æternam vitam inſtaurantur.*

11 *Nos ipſi fideli participatione Cœnæ Domini quodam genere ſpiritualis mutationis, in corpus Chriſti alimur & propemodum transelementamur.*

12 *Per incarnationem filij Dei, carne & ſanguine cum eo communicamus, quandoquidem natura noſtra verè ab eo aſſumpta creditur. Et viciſſim dum communicando fide amplectimur corpus eius & ſanguinem, quæ pro nobis in mortem data ſunt, eorum ſpiritualiter efficimur participes.*

13 *Sermo diuinarum literarum, vel auditus, vel lectus quatenus à nobis fide recipitur, corpus Chriſti eſt & panis, quo animi noſtri nutriuntur.*

14 *Cœtus credentium eſt corpus Chriſti, cuius ipſe caput & nos membra cum ſumus, tum dicimur.*

5 *Pauperes & oppreſſi pro Chriſti nomine ſunt eius corpus. Hinc illa vox Paulo, Quid me perſequeris?*

6 *Miracula interdum edita circa Euchariſtiæ ſymbola, neq; transſubſtantiationem elementorum eius, neq; præſentiam corporis realem & ſubſtantialem, vt ita dixerim, probant.*

17 *Corpus Chriſti ſpiritualiter adeſſe communicantibus non ſigni-*

significat inuisibiliter quidem, sed tamen propriè adesse, vt Papistæ dicunt. Sed quod fidei nostræ ac spiritui præsens fiat, non secus atq; mors illius, quam verè credimus, & bona futuræ vitæ quæ spe certissima expectamus, quarum rerum præsentia tantum ad fidem & spiritum nostrum referri potest.

18 *Aduersarij qui de sua consecratione panis & vini tam multa loquuntur, an precibus an verbis ea perficiatur expedire non possunt.*

19 *In Eucharistia nullum aliud sacrificium admittimus quàm gratiarum actionis, precum & nostri ipsorum oblationis, hæc verò non tantum à ministro, sed etiam à plebe communicante offerri.*

20 *Sacrificium item ibi esse damus, quatenus veri sacrificij commemoratio ibi fit. Et sacramẽta, id est, externa symbola, quæ proponuntur, eiusdem veri sacrificij signa sunt, & illud communicantibus ex instituto Domini referunt.*

Quas iam commemoraui sententias prudens & candidus lector mei libri, in eo deprehendet non tantum fuisse tractatas, imò etiam multis cum scripturæ, tum patrum testimonijs confirmatas. Quare si ei cordi fuerit totam istam controuersiam, ceu in tabella quadã ob oculos habere, perspicuè ac dilucidè quodammodo pictam, sententias hasce cumprimis, deinde rationes quas in hac Epitome attuli, cogitatione attenta frequentiq; repetitione faciat sibi quàm familiarissimas. Nam & inde vt spero, proficiet, nec eum operæ collocatæ, vnquam pœnitebit.

CONFESSIO SEV SENTENTIA D. PETRI MARTYRIS VERMILII

de Cœna Domini, exhibita amplissimo Senatui Argentinensi, cùm uocaretur Tigurum, Anno M.D.LVI.

SERVATOR noster Iesus Christus duabus naturis constat in vna eademq; persona seu hypostasi coniunctis, nec his quidem vel cõfusis aut permixtis, sed proprietatibus & conditionibus vtriusq; saluis & integris. Ideoq; Christi diuinitati quæ infinita est, & nullis mensuris aut terminis circumscribitur, vt sit vbique, citra controuersiam conceditur. Humanitati verò ex ipsius natura & veritate, ita circumscriptio, termini & fines debentur, vt nec vbiq;, neq; absq; certo aliquo loco esse possit: non sanè imbecillitate diuinæ potentiæ, sed naturæ humanæ perpetua immutabiliq; conditione. Sicut.n. fieri non potest, vt vel numerus ternarius sit senarius, vel vt res heri gesta sit infecta, sic non est possibile, vt, quod est humanum corpus, non sit humanum corpus, cuius definitio necessariò magnitudinem, partes distinctas, & membra cõprehendit. Quamobrem quicunq; illud fundunt, & tam latè patere volunt, quàm diuinum verbum, & ob id, vel vbique, vel in multis locis esse, id quod est humanum corpus, non esse humanũ corpus affirmant, & quod est creatum, id dicunt nõ esse creaturam. Quia nulli creaturæ conuenit, cùm sit finita, eodem tempore in multis locis esse. Christum verò, quò ad naturam humanam Ecclesia creaturam esse ex verbo Dei nunquam dubitauit. Christus igitur, quà homo est, mundum reliquit, à nobis corpore præsens non habetur: cum eo enim ascendit in cælum, quod eũ continere seu accipere oportet, vsq; ad tempora restitutionis omnium, vt Petrus in Actis apostolicis cap. 3. docuit.

Sacramentum Eucharistiæ sic institutum à Christo seruatore

tore nostro fateor, vt verbis eius adhibitis, quæ communionem veram fidelium cum eo pollicentur, & symbolis interpositis panis & vini, quæ spiritus sancti, dum sacra Cœna peragitur, quò ad fideles, efficacia instrumenta sunt, fides in nobis excitetur, qua verè, non fictè animo apprehendamus, & corpus & sanguinem eius, vt pro nobis in mortem & crucem tradita sunt, in remissionem peccatorum. Quæ sanè perceptio, licet rerum absentium sit & animo fiat, non tamen ipsi animo tantùm prodest, verùm & ad corpus sumentium redundat, ita vt vi quadam sanctificationis, coniunctionisq; spiritualis capax fiat beatæ resurrectionis, & æternæ vitæ. Quare neq; in symbolis, neq; in ipsis communicantibus, realem aut substantialem, corporalemue corporis Christi præsentiam admitto, neq; possum agnoscere, cùm tamen communionem & participationem, corporis & sanguinis eius, communicantibus dari spiritualem, non dubitem, sed affirmem, quæ nihilominus & ante sacramenti manducationẽ habeatur, fidei verò exercitio in comedendo mysterio crescat. Quia nisi ante sumptionem Eucharistiæ carni & sanguini Christi cõmunicaremus, ab eo essemus alieni, fide careremus, & indignè ad mensam spiritualis eius conuiuij adiremus.

Qui fide vera in Christum sunt destituti, quamuis ad symbola percipienda, panem inquam & vinum, accedunt, tamẽ corporis eius & sanguinis minimè participes fiunt, nisi quatenus illa signa corporis & sanguinis Domini appellatione donantur. Est enim connexio est inter signa sacra & res, quæ significantur, vt diuinæ literæ nomina eorum facilè permutent. Nam & caro Christi panis dicitur, vt Ioannis 6. apparet, & panis in sacra Cœna corpus Christi vocatur. Ita etiam Dominus & Iudæi se aiebant comedere Pascha, cum ipsum agnum ederent, quo Pascha, id est transitus, denotabatur. Possem itaq; dare, impios corpus Domini sumere, quia signa eius accipiunt. Et quemadmodum in deserto murmuratores manna edebant, & aquam de petra bibebant, qui tamen eum expectato Christo nullam cõmu-

ronem habebant: sic è diuerso sancti & pij Hebræi, dum vnà cum illis eò. [illegible] bibebant, spiritualis cibi & potus nobiscum erant participes. Et ne dubitemus, quis ille cibus potusúe fuerit, quem communem nobiscum habuerunt, Paulus 1. ad Corin. 10. cap. id explicat, dicens: Bibebant de spirituali consequente eos petra: petra aũt erat Christus. Proinde impij, qui eo destituuntur instrumento, quo corpus & sanguis Domini sumuntur, nimirùm fide, idcircò non res ipsas quæ significantur, verùm symbola tantum earum accipiunt. Qui verò fide sunt instructi, vt corporis ore signa edunt & bibunt, ita fide atq; ore mentis corpus & sanguinem Christi verè apprehendunt.

Verba illa, Hoc est corpus meum, à Domino omninò tropicè dicta sunt. Cùm.n. panem in manus acceperit, illumq; ostenderit discumbentibus Apostolis, de eo, si panis esse non desinat, quod suum corpus fuerit, affirmare non potuit. Quis.n. proprio sermone panem dicat esse humanum corpus? profectò, nemo, qui sapiat. Sunt enim ea formæ naturaq; omninò distinctæ ac separatæ, ita vt vna esse altera minimè queat. Quamobrem cùm sit adhibendus tropus, is deligatur oportet qui sacramentis magis conueniat. Sacramentorum autem definitio recepta est, vt sint sacrarum rerum signa. Proinde sicut victima Hebræorum pascha dicebatur, quod pascha, id est transitum significaret, & Circumcisio Dei fœdus, quod illius esset signum, neq; petra, de qua veteres bibebant, alia ratione dicta sit Christus: ita panis Eucharistiæ appellatur corpus Domini, quod illud significet, non sanè vulgari, scenica, vel theatrali significatione, sed efficaci: quãdoquidem spiritus sanctus eo instrumento vtitur ad fidem in nobis excitandam, qua corporis Domini communionem promissam apprehendamus. Darem etiam, panem ipsum corpus Christi suo quodam modo esse, ac dici, nempè, quod eius sit sacramentum. Nã & scripturæ & patres de Sacramentis nõ rarò ita loquuntur. Illi autem, qui cõtrariam sententiam defendunt, & ipsi forsè in verbis allatis tropum concederent, imò necessitate coacti lo-

cutionem

cutionem illam sic explicant, Hoc est corpus meum, id est, cum hoc, nimirum pane, datur corpus meum. Quam ego quoq; interpretationem recipere non grauarer, si dari corpus Christi absq; substantiali vel corporali præsentia intelligerent. Quod quia nolunt admittere, ideò ad ambiguitatem cauendam, illo tropi genere abstineo, & communi ac recepto Significationis, quo & patres antiquitus vtebantur, sum contentus.

In eo controuersiæ nostræ status est, quod à multis non existimatur, corpus Christi verè posse communicari, nisi realiter & corporaliter, vt ita loquar, præsens fuerit. Verùm ij meo iudicio vim fidei non satis perceptam habent. Non enim animaduertunt, per eam præsentia nobis fieri, quæ alioqui longissimè distant. Veteres quoq;, quotquot pij erant, vt Paulus attestatur, eundem cibum potumq; spiritualem nobiscum perceperunt, id est, corpus & sanguinem Domini, vt ad Corinthios dicitur. Neq; spirituali veraq; communioni harum rerum obstabat magna temporum distantia, in qua Christo iam nato hæc esse cæperunt. Fide quippe illis præsentia reddebantur. Quid igitur impedient modò locorum spatia, quæ inter cælum, vbi Christus degit, & nos intercedunt, quò minus corpore illius ac sanguine verè fruamur, & eis viuificemur? Nihil planè, si fides adsit, qua nostri animi verbo Dei & sacramentis adiuti subuebantur in cælu, ibiq; spirituali cibo & potu corporis atq; sanguinis Christi reficiantur, & ad vitam æternam instaurentur. Dumq; Cælum subinde nomino, metaphora nulla vtor, sed reuera ipsos cælestes orbes intelligo, in quos Christus cùm à nobis ascendit, receptus est, vt sancta scriptura perhibet.

Quisq; fidelium, cùm sit Christi membrum, vbicunq; fuerit, habet illum pro capite, & ei verè atq; arctissimè coniungitur, ita vt inde vitam atq; spiritũ hauriat, quæ sic à diuinitate fluunt, vt per carnem & sanguinem Domini tradita in mortem, ad nos perueniant. Nil enim Deus cælestium donorum communicat mortalibus, nisi per vnum mediatorem Dei & hominum, homi-

dem Iesum Christum, vt Paulus ad Timotheum ait. Qui fit vt ossa nostra, & carnes nostræ, qua cœlestem regenerationem, & æternam vitam participant, sint ex carnibus eius, & ex ossibus eius, vt Ephesios idem apostolus docuit. Nisi enim ab illis penderent, et spiritualiter illis cohærerent, neq; regenerationem, neq; vitam æternam, neq; spiritum per illa ex Deo ad se traherent. Vnde quamuis inter nos & Christi corpus magna locorum spatia interponantur, ab eo tamẽ pendemus, & illi mirabiliter adiungimur: cumq; spiritualis, arcana & diuina sit ista coniunctio, substantialis & corporalis præsentia corporis & sanguinis eius non requiritur, nosq; illam idcirco non ponimus, quia veritati humanæ naturæ Domini repugnat, & à scripturæ testimonijs clarè discrepat.

In rebus humanis, cùm vir in longinquam regionem ob aliquos occurrentes casus proficiscitur, vxore ad tempus domi relicta, non desinit propterea cum illa, vt scripturæ loquuntur, vna esse caro. Manet igitur salua eorum vera, propria & legitima coniunctio, licet vnus ab altero longissimè absit. Quanto magis Christus, qui Ecclesiæ, vt Apostolus ait, vir est, omnibus suis membris coniunctus manet, licet in cœlum abierit, & corporaliter discesserit?

Ad istam igitur vnionem, quam cum Domino, id est, corpore, sanguine atq; ossibus eius habemus, nõ est opus contactu physico, neq; locis coniunctis, continuis aut contiguis, Spiritus tantum & fides adhibenda sunt, quibus toti Christo sponso & seruatori nostro quàm arctissimè copulamur. Qui autem negant veram istam cõiunctionem cum carne Christi fieri, & haberi absq; substantiali corporalique ipsius præsentia, videtur potentiæ Dei parum tribuere, cùm interea nos perpetuo moneant ad illam respiciendam, quando iudicamus, corpus Christi non posse neq; vbiq;, neque multis in locis esse simul. Eo ipsi remedio quod alijs porrigunt, vtantur, & illam Dei potentiam concedant, quã veritas, & nostra pia sententia requirit. Eaq; data nihil detr

hetur

hetur de humanitate Domini, salua manebit sacramenti natura, & oraculis diuinarum literarum vnà consentiemus.

In confessione Augustana, quãtum ipse video, nihil est hac de re, quod cum sententia iam exposita non possit conuenire. Sed quia ἐν τῷ ῥητῷ καὶ διανοίᾳ, vt manifestè apparet, minimè inter nos conuenimus, ideò quod ex verbo Dei credo atq; intelligo, explicare volui, ne vlli postea verba sibi data esse iustè conqueri possint. Et hæc complexus sum paucissimis, de quibus docendo, disputando & scribendo non possum diutius tacere, salua & integra conscientia.

Ideò oro, vt de illa substantiali corporaliq; præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna, & de cæteris, quæ iam commemoraui, mihi liberum sit, clarè ac dilucidè, quemadmodum sentio, tractare dicto & scripto, cùm opportunum fueris.

Quod si non videatur concedendum, bona gratia & venia vestrarum amplissimarum dominationum, peto, vt missus fiam.

SENTENTIA D. PETRI MARTYRIS VERMILII DE PRAEsentia Corporis Christi in Eucharistia, proposita ab ipso in colloquio Poissiaci habito.

REVERENDI *Antistites, ac doctissimi viri cùm videretur initus propemodùm consensus de corporis Christi præsentia in vsu Cœnæ, vobis heri sum professus quæ mea de illo dogmate fides ac sententia esset, quàm vt tum verbis expressi, sic in præsentia de scripto recitare statui, quò certiorem ac magis perspicuam illam vobis faciam. Sentio itaq; corpus Christi reale atq; substantiale tantum*

in cœlis esse, fideles tamen communicando verum eius corpus, & verum sanguinem quæ pro nobis tradita sunt in crucem, spiritualiter & per fidem verè percipere. Quare in pane & vino Cœnæ transubstantionem & consubstantiationem minimè probo. Deinde affirmo nostræ coniunctioni cum corpore ac sanguine Christi locorum distantiam non obstare, quoniam Cœna Domini res est cœlestis, & licet ore corporis accipiamus in terris panem & vinum, sacramenta corporis & sanguinis Domini, fide tamen, & ope spiritus sancti animi nostri, quorum inprimis est hic spiritualis & diuinus cibus, ad cœlum euecti, præsenti corpore ac sanguine Christi fruuntur. Et ideò assero non opus esse statuere corpus Christi verè substantialiter & corporaliter adesse vel nobis, vel symbolis præsentia non locali. Res adhæ? significatas aio non aliter coniungi symbolis externis, quàm sacramentaliter, quòd ab eis non prophanè ac leuiter, sed ex instituto Domini efficaciter significentur. Hæc est summa fidei meæ quam in hoc dogmate sequor, & idcirco allatas formulas consensus ea ratione admitto, qua referuntur, vel accommodari possunt ad sensum iam explicatum: contra quem si quis illas vel rapiat, vel interpretetur, ab eo me profiteor dissidere. Cumque in his formulis fiat mentio substantiæ corporis Christi, per illud nomen, seu vocabulum, nil aliud intelligo, quàm verum Christi corpus. Non enim fides nostra in rem fictam, aut phantasma dirigitur, sed in corpus humanum verum & naturale, quod verbum Dei ex beata virgine assumpsit, & in crucem pro nobis dedit. Vnde non est, quod ex ea voce credamur existimare, præsentiam eius realem alibi, quàm in cœlis esse. Ego Petrus Martyr Vermilius Florentinus hæc manu mea scripsi, & ore proprio sum protestatus coràm Reuerendis Dominis collocutoribus.

Epistola

EPISTOLA D. P. MARTYRIS DE CAVSA EVCHARISTIAE ad amicum quendam, virum magni nominis.

S. D.

DE re graui, & hominum certaminibus iam propemodum obcaecata, paucis & dilucidè scribere, tu ipse vir clarissime, qui es dicendi Magister optimus, & scribendi peritissimus, apprime nosti quàm sit arduũ & factu perdifficile. Ideò mirari non desino quæ causa fuerit, cur id à me, qui & dicendo & scribendo ferè nihil possum, cuius proximis literis petere non fis veritus. Quia tamen rogasti, & ego pro mea in te obseruantia recepi me facturum, per primum, eumq; fidum tabellarium, fidem meam decreui liberare. Quod etiam eò alacrius faciam, quòd me sentio ad eum non scribere, qui sit controuersiæ ignarus: nam vt video, in Eucharistiæ causa iam eorum habitas, tantùm abest vt in ea hospes dici possis. Cùm itaq; de te sic existimem, ita summa capita perstringam, vt ea potius notasse, quàm explicare voluisse demonstrem. Tu boni consules, ac si voluntatem tuam minus expleuero, non animum meum in te propensissimum, verùm te ipsum qui rogauerris, accusabis.

Panis & vini μετουσίαν missam facio: quòd aduersarij nõ minus quàm nos ab ea se profitentur abhorrere. Nec etiam laborandum puto, an oratio Domini, qua panem esse corpus suum, & vinum sanguinem suum, dixit, proprijs an figuratis ac ξομικαῖς accenseri debeat. Siquidem illis contra quos disputamus, ad sanitatem vtcunq; reuersis, tropũ in ea oratione iam se agnoscere confitentur: sed ita confitentur, vt corpus & sanguine domini verè, proprie, ac reipsa pani & vino copulẽt, atq; τῇ μετουσίᾳ

Papæ, συνουσίαν duarum naturam ſupponant, ſtatuantq; carnem & ſanguinem Chriſti non tantùm in cœlis eſſe, verumetiam in pane ac vino ſacræ Cœnæ adeſſe præſentia. Nec verentur Domini corpus, quamuis humanum eſt, affirmare ſimul eodemq; tempore in multis locis eſſe. Imò progrediũtur eò, vt illud æque ac naturam diuinam pronuntient eſſe vbiq;. Deinde præſentiã illi corpori tribuunt, quæ locũ minimè occupet. Ego verò Chriſti naturã humanam ſemper certo quodam loco fuiſſe comprehenſam dico, quem ita occuparit, vt eodem tempore alibi nõ fuerit. Euangelica hiſtoria illum tradit aliquando fuiſſe in Galilæa, nonnunquam Hieroſolymis, interdum in domo Simonis, & aliâs in Bethania. Vnde conſtat ab ea certum aliquem locum datum eſſe corpori Chriſti. Simul autem alibi non fuiſſe apertè demonſtrat, cùm Chriſtum dixiſſe perhibeat, Lazarum fuiſſe mortuum, & ſe gaudere quòd ibi non fuerit: Quibus vtiq; verbis ita ſe oſtendit in illo fuiſſe itinere, vt alibi non fuerit. Angelus quoq; dixit mulieribus, cùm Dñi corpus in ſepulchro quærerent, Surrexit, Non eſt hîc: quo declarauit, ita è ſepulchro diſceſſiſſe, vt ibi corpore non amplius adeſſet. Et Petrus Act. 3. de illo enuntiauit: Quem oportet quidem cœlum accipere vſque in tempora inſtaurationis omnium, &c. Si futurus eſt in cœlis quoad naturam humanam, vt Apoſtolus dixit, vſq; ad extremũ diem, quid eius carnem & ſanguinem in terris quærimus? At de Apoſtolo quid loquor? Ipſe Chriſtus diſcipulis aiebat ſe relinquere mundum, & ab illis diſcedere. Atq; monuit fore, vt perpetuò ſecum pauperes, non autem illum eſſent habituri. Proinde ſic imbutus & inſtructus diuinis oraculis, humanam Chriſti naturam in cœlis ab inferiori mundo ſepoſitam vſq; ad mundi finem agere credo, eamq; tunc ad orbem iudicandum inde rurſus eſſe venturam, vt ab angelis moniti ſunt Apoſtoli, & nos articulo noſtræ fidei profitemur. Hoc eſt, vt ſummatim dicam, quod ſentio de loco & præſentia corporis & ſanguinis Domini.

Qui autẽ è diuerſo cœlum vbiquarium ſibi formant & fin-

guni,

quasi eius materia sit mollis instar ceræ, ac figmenta eorũ sequatur facillimè, quocũq; illam ducere visum fuerit: quá dñs corpus vel in pluribus locis simul, vel, quod multò audacius est, vbiq; adesse prædicãt: qui eriã illud pani & vino sacra Cenæ copulant, vbiubi gentiũ habeatur: qui deniq; ibi absq; loco & inuisibiliter adesse præsens decernunt: eos oẽs precor, obsecro & obtestor, vt hæc sua præclara & mirabilia commenta, ne portenta dixerim, in diuinis literis tandẽ aliquando conscripta demonstrẽt: quod si fecerint, ingenuè vicisse confitebimur. Sed quia, vt certò scio, præstare non poterunt, illos porrò sedulò moneo, vt ex capite suo noua dogmata nouosq; articulos fidei cudere desinant, & nobis ea obtrudere credenda, quæ domi eorũ nata sint, non aũ in agro scripturarũ diuinarum creuerint. Non me latet eos in hac tota ratione id nobis exprobrare, quòd nõ Theologos, verùm naturales Philosophos agamus. Etenim fatentur, quæ ducimus, ex decretis naturæ, cùm vera esse tum necessaria: verùm ea mysteria, quæ diuina & cœlestia cùm sint, naturam multis modis vincunt, eius regulis & decretis non oportere subijci. Sed cùm in eis amplectendis & considerandis ratio nostra offendatur, diuinam potestatem, quæ immensa est, nos tum debere metueri. Cæterùm hæc diluere nõ est difficile. Primùm, quo sanctarum scripturarum testimonia sequimur, vt illa recẽsuimus, eo nos minimè Philosophiam, sed verbum Dei sequi testamur. Deinde, si naturam audimus, ubi sermonibus Dei non repugnat, nihil facimus Christiana Theologia indignum. Habet siquidem natura Deũ authorem ac vindicem, & idcircò eius regulæ ac decreta non ex ea, verùm ex ipso Deo proficiscuntur, ideoq; contemnenda & refigẽda non sunt, quoad nõ ostendatur, verbũ diuinis literis proditum eis repugnare. Hanc naturæ vocẽ maximus optimusq; Theologus Augustinus in epist. ad Dardanũ audiuit, cùm inquit, Spatia locorũ tolle à corporibus, & nusquã erunt: & quia nusquam erunt, nec erunt. Id nõ pronuntiauit, de natura vel corporibus Physicis agens, verum scribens ex professo de Anima & corpore

Dñi. Eandem naturæ vocem & Cyrillus audiuit, qui scripsit suis Dialogis de Trinitate, Ipsam Dei naturã, si partibilis esset, vt quidã sentiebant, omninò fore quantã, nec nõ in loco, neq; posse circumscriptionẽ euitare. In nostra itaq; sententia tuenda, verbũ inprimis Dei amplectimur, audimus naturæ vocẽ, dũ suo authori nõ aduersatur, & unà cũ patribus rectè sentientibus facimus. Vt aũt ad potentiã Dei confugiamus, in hac proposita cõtroversia opus nõ habemus. Cõmonefacimus attamen pios, diuinã omnipotentiam, quã vnà cũ omnibus fidelibus credimus, nõ esse citra omnem exceptionẽ admittendam. Nam & Paulus excipit, Deũ non posse negare seipsum. Excipitur itẽ passim, à Deo fieri non posse, vt quæ facta sunt infecta reddantur. In scholis etiam Theologicis definitũ est, ea Deum nõ posse facere, quæ, vt loquũtur, contradictionem implicant: quod cùm vitio rerũ fiat, nõ Dei vlla infirmitate, de summa illius potentia nihil minuitur. Attẽdendum præterea nõ paucos hæreticos isto suffugio esse vsos, cùm illorũ praua et insana dogmata refellerentur à sanctis patribus, nõ solùm vt absurda, verumetiã vt impossibilia. Respondebãt. n. vt se tuerentur, Omnia Deo esse possibilia. Neq; manus illis dare propterea cogimur, quòd Christus de pane dixerit: Hoc est corpus meum, & de vino, Hic est sanguis meus: quia cùm & nostra & illorum eius orationis interpretatio extet, locus ambiguus redditur: quamuis nobis expositio nostra est certissima. Argumentum verò quod ab ambiguo deducatur, omnes norunt quàm sit retusum atque imbecille.

Quid igitur? dices. An cœnã Dñi absq; illius corpore ac sanguine haberi docebis? Quomodo præterea hæc aut mãducari aut bibi, si præsentia reipsa non adsunt, probabis? Porrò scriptura vtrũq; testatur, nos in sacra cœna carne ac sanguine Christi vesci ac potari. Vt de eo antea dicã, de quo interrogor posterius, corpus et sanguinẽ dñi Spiritualiter edi ac bibi affirmo, id est animi ore, qui spiritu & fide sit imbutus. Dùm. n. in sacra cœna mente agitamus dñi mortẽ, ac syncera fide ista redimendorũ nostrũ cau

sa in crucem fuisse impensa fideliter credimus, ea magno nostro bono edimus & bibimus. Nã sunt animis nostris instar optimi cibi & saluberrimi potus, eamq; fidem excitat Deus in suis per spiritũ sanctũ, duobus adhibitis externis instrumentis, verbo inquam, & panis ac vini elementis. Qui ergo credunt & fide amplectuntur, Dñi carnẽ & sanguinẽ fuisse nostræ salutis causa in mortẽ tradita, ea spiritualiter comedunt & spiritualiter bibunt. Proinde fatemur ad esum & potationẽ Physicã & propriã, exigi esculenta ac poculenta rei præsentiã: alioqui res absentes nec edi neq; bibi posse. Vicissim aũt negamus è spirituali esu & potu elici seu cõcludi, ea quæ ἀλληγορικῶς dicuntur edi & bibi, corporaliter ac propriè adesse præsentia. Fide aũt constare carnis Christi manducationẽ, ipse apud Ioan. 6. cap. luculentissimè testatus est. Quare is Euangelista, cùm rem totã ibi à se indicaret affatim explicatam, in historia postremæ Cœnæ, quomodo externa signa panis & vini adiecta fuerint, minimè commemorauit. Adhæc idem ex eo colligitur, quòd ad verum & propriũ Christi corpus, vera propriaq; manducatio accõmodari non potest, cùm iam dilacerari cõminui & moli nequeat. Ore quidẽ corporis & panis & vinum propriè comeduntur ac bibũtur, quæ suo modo caro & sanguis Christi dicuntur, quòd sint earum rerum externa signa: ideò vecuno ore dici possumus edere ac bibere corpus & sanguinem Dñi. Vnde Cyprianus & Augustinus, cùm de harũ rerum quæ significantur esu agerent, nimirũ spirituali, prudenter dixerunt, Quid paras dentẽ & ventrem? Crede & manducasti. Nõ itaq; opus est corpus & sanguinem Dñi è cœlo in terras demitti, vel adhuc in mundo versari, vt nostræ Cœnæ se admisceant, sed nostras mentes verbo Dei, & signis externis cõmonefactas, oportet ad cœlum per fidem subuehi, quo sacro isto cibo uescantur atq; alantur. Hinc etiã consequitur, illos qui fide prorsus destituuntur, corpus & sanguinem Christi minimè percipere, quòd eas (vt dixi) fide cantum & spiritu comedantur & bibantur. Symbola quidem externa ij comedunt & bibunt, res autem significatas minimè attingunt: sicuti qui obcæcati sunt, lucem &

Digitized by Google

colorem, quæ oculis capiuntur, minimè possunt recipere.

Cùm postea rogor, an in ecclesia Cœnam sine corpore ac sanguine Christi haberi existimem, Respondeo. Si de ea præsentia loquamur, quam corporalem, realem atq; substantialem vocant, corpus & sanguinẽ Christi abesse confiteor: neq; si adessent, plus vtilitatis, commodi & emolumenti nobis afferrent, quàm inde hauriamus dum in cœlis manent procul à nobis disiuncta. Deinde caro & sanguis Christi nobis præsentia sunt spiritu, gratia, meritis, & alijs admirabilibus fructibus, quæ diuinitus per ea in nos deriuantur: quemadmodum Sol dicitur nobis adesse præsens per lucem, radios, & bonos influxus quos inde percipimus. Neq; corpus & sanguis Dñi sic animis nostris præsentia sunt, spiritualiter & per fidem, vt vires & facultates suas saluberrimas ibi tantùm contineant, sinantque corpora fidelium ipsarum prorsus expertia. Non ita res habet. Sed quia credendo corpus & sanguinem Domini pretia esse nostræ salutis, iustificamur & regeneramur, vel in ipsa cum iustificatione tum regeneratione augemur & confirmamur. Iustificatio autem & regeneratio principia sunt nostræ felicis immortalitatis. Inde fit, vt Cœnam Domini fideliter percipiendo non modò animi pascantur & recreentur, sed item corpora etiam atque etiam beatæ Resurrectionis capacia reddantur, &c.

Hic est meæ fidei sensus de sacra Domini Cœna, quem tibi vir præstantissime, fortasse minus enucleatè, propter orationis ieiunitatem, quàm fideliter exposui. Sed te confido missis verbis impolitis atq; incultis, rebus ipsis & sententijs amico animo hæsurum. Vale, ac me tui amantissimum, vt facis, ama, & pro fructu meæ vocationis ora. D. Bullingerus cæteriq; amici plurimam tibi salutem adscribi voluerunt. 24. Maij 1562. Tiguri.

Tuus quantus est

Petrus Martyr.

CARMINA

CARMINA DOCTORVM ALIQVOT VIRORVM

IN OBITVM D. PETRI MARTYRIS Vermilij conscripta.

ΕΙΣ ΠΕΤΡΟΝ ΜΑΡΤΥΡΑ ΒΕΡΜΙΛΙΟΝ

Θεολόγον τὸν πάνυ Ἐξόδιον.

Οὐκ ἐτὸς, ἀλλ' ἐπόρνυι φερώνυμον ὄνομα Πέτρῳ
Μάρτυρος, ἐξ ἱεροῦ ὕδατος ἀρχηγόνου
Εἶχες· ἐπεί σοι τοῦτο πεφασμένον εἰς ὅ,ἵω,
Θέσκελον ἀμφοτέρων, κρεῖττον δ' ἀδρομέου.
Μαρτυρίη γάρ σοι χερσὶ δι' ἀκὴ πάντας ἐτύχθη
Ὁ σκοπὸς ἠδὲ τέλος ῥίσις ἠδὲ βίου.
Ἐν ταύτῃ Πέτρου ἦ δίκην, μέχρι γήρως ὑδοῦ
Καὶ φυλίων αἰ δου, δύσαθέως ἐβίως.
Τοῦτό τοι Εὐρώπη πᾶσ' οἰδεν ἡ ἰουδόδεια,
Αὐσονία φρῶτον, σοὶ μητρυιὰ πάρα·
Εἶτα ἦ Τεύτονις αἶα, πολυκλειτῷ τε Βρεττανῶν,
Καὶ τέλος Ἑλβετίων ἔθνος ἀριπρεπέος.
Ὧν ἐν πεφυτίῃ πόλεϊ πάντ' ἠλίοισι
Ἐξηκοντάμνος τὰς ἱερὰς σελίδας,
Κυρίου ἐκ γραπτῆς ἔτει φλφα ἐπὶ ξιακοσφ,
Οἰκοδομεῖν θείαν γλιχόμνος διδαχὴν,
Ἦλυθες εἰς Κίλτας, βασιλεὺς δ' ἐκάλεσε Ναβάρρων
Καὶ βασιλὶς Κελτῷ χέρσ ἰούσα τότε.
Νοσήσας ἦ πάλιν εἰς ἑλβετικὸν τὸ Τίγουρον,
Κυρίῳ ἀθμαίνων πνεῦμ' ἀνέπνας ἐὸν,
Οὐ πλήρους μῆνα νόσον ὑπεκλομφέου ἑαυτῷ.
Σῶμα μὲν οὖν ὕδωρ μηρὶς ἑὸν κατέχει·

Νῦς δ' ὑπερουρανίη ἐν παζίδι, μυριάδιασι
Σὺν πολλαῖς ἁγίων, ζῇ βίον ἀθάνατον.

Κορυφαῖος Γερμῆος, ὁ ζῶντά τε φιλήσας
αὐτὸν καὶ ἀγασάμενος ὁπλέϊσον, καὶ
τῇ ἐυσεβεστάτῃ αὐτοῦ ἐξόδῳ θεσπεσιο-
νόμῳ ἐμελέτα.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ

Επιτάφιον, τὸ αὐτό.

Ἐν τῷδε Πέτρος Μάρτυρ ἔγκειται τάφῳ
Θείων διδάσκαλος λόγων,
Οὗ καὶ ἀπὸ γλώττης νέκταρ ἐκβλύζον ῥέειν,
Ἔστει ἀπὸ χρισοστόμου,
Ὅς, διστὸν αὐτοῦ εἴσῃ ἀριθμῷ ὄνομα,
Ῥῶ μῖ ἀφιλῶν, δὶς ζῖα ἦ θεοφθίς.

Idem Latinè.

Hoc tumulo Πέτρος, *tum re, tum nomine,* Μάρτυρ
Conditus est, Christi testis amorq; sui.
Annum si libeat Domini cognoscere, μῖ ῥῶ
Abijce de Græcis, bis tria & adde, notis.

In tumulum incomparabilis uiri, D. Petri Martyris Vermilij, Florentini, RODOLPHVS GVALTHERVS Tigurinus.

Martyra me diues genuit Florentia, sed me,
Ampla licet, totum claudere non potuit.
Mox etenim summum duce te super æthera scandens,
CHRISTE, *tui didici iussa colenda patris.*

Nec

Nec didici tantùm, diuo sed numine ductus
Illorum toto testis in orbe fui.
Martyra me vidit, quà quà patet, Itala tellus,
Quæ tota est studijs irradiata meis.
Martyra me fortis vidit Germania, quæ me
Exulem patrio fouit amica solo.
Martyra me vidit generosa Britannia & huius
Immemor haud vnquam nominis esse potest.
Martyra non ficto vidit me Gallia vultu,
Gallia martyrijs nobilitata suis.
Sed procul Italia ne tardæ in fine senectæ
Languerem, Heluetios iussit adire Deus.
Nobile vicinas Tigurum quà respicit Alpes,
Et CHRISTI *toto spargit in orbe sonum.*
Hoc quoque constantem Christi me Martyra vidit,
Et studij seruat pignora grata mei.
Hoc me confectum studijs multoq; labore
Fouit, & optato nunc tegit ossa sinu.
O mihi, ô cunctis Tigurum dilectius oris,
O vrbs præ patria semper amata, Vale.
Ossa tuis lachrymis Tigurum tu nostra rigasti,
Dum mea mens summi gaudet in arce poli.
Nec tamen ossa modò, nostri monumenta, reseruas:
Ingenij sed habes & monumenta, libros.
Vtq; hi perpetua vulgati luce fruentur,
Perpetuus Christi sic ego Martyr ero.

ALIVD eiusdem.

Desinite à lachrymis, quia non sum morte peremptus,
Parte sed ex viuo nunc meliore mei.
Vt cælo fruerer, terris iactatus & alto
Pro Christi subij mille pericla fide.

Nunc igitur cælum inueni ſedesq́; beatas,
Moxq́; ſuam inueniet Brentius Vtopiam.

VVOLFGANGI MVSCVLI
Decaſtichum.

Gratulor ipſe tibi cùm mundum conſpicor iſtum
Martyr, quod ſaluum te Deus eripuit.
Rurſum vbi doctrinæ Chriſti conſydero ſortem,
Ad gemitum & luctum me tua fata vocant.
Quidquid id eſt, pro te ſit ſemper gloria Chriſto,
Namq; vt ſis Martyr & Petrus ipſe dedit.
Vt Martyr de Chriſto es teſtificatus apertè,
Et probat eſſe Petrum te tua firma fides.
Ingreſſus ſedem cæli es non ἐπωμικῶ, ſed
Sanctorum quæ ſit commoda ſpiritibus.

RODOLPHI COLLINI SENIORIS.

Ergo ego chare ſenex nobis te propter ademptum
Cogor in æterna viuere triſtitia?
Ergo ego vicinus fruſtra tibi factus, vt acri
Pro lætis ſtudijs carpar amaritie?
Vidi ego complures doctos, vaga flumina mittunt
Qua ſua Ticinus, Sequana, Danubius,
Vidi ego, ſed nullum, te præter, (parcite docti)
Quem verè potui dicere doctiloquum.
Tu mihi ſolus eras, in ſummo limine vitæ,
(Nam binis annis te fueram ſenior)
Cuius honorandæ voces oracla fuêre,
Certa pij & docti pectoris indicia.
Nunc quibus orbato mihi ſpes hæc vnica reſtat,
Mox ſimul in cælis me fore, te ſocio.

Illic

Illic cum Domino IESV licet esse beatis
Semper, & aeterna viuere laetitia.

IOANNIS KESLERI Sangallensis.

P	*Petro illi nomen, firmo quia robore Christum*	M
E	*Edocuit, stabilis qui solet esse petra.*	A
T	*Testis erat vivus, sed nunc monumenta loquuntur*	R
R	*Religio vera quid pietatis habet.*	T
V	*Vrna viri cineres tenet hæc, colit ætheris ἄσυ*	Y
S	*Spiritus, illustris vivet in orbe labor.*	R

IOANNIS HALLERI.

Quàm benè Nasonis cecinit doctissima Musa
Conueniunt fatis nomina sæpe suis.
Sic ego dum Martyr dicor me Christus Iesus
Æterni verbi Martyra constituit.
Italus audiuit, Gallus, Germanus & Anglus,
Martyrium sanctum quod tibi Christe dedi.
Illud & absolui Tigurina doctor in vrbe,
Hic mea membra iacens, spiritus astra tenet.

VVOLFGANGI HALleri Διαλογισμός.

Μαρτυρόφιλος Martyri.

Cur moreris Martyr? cur nos ô chare relinquis?
Cur filum resecat pallida Parca tibi?
Quis subito morbus te nobis eripit, aut qua
Tempore tam celeri vis inimica rapit?
Profueras multum, sed quid nunc proderis orbi,
In gelidam felix corpore versus humum?

Quos etiam fœtus iam posſ tua fata relinquis,
Vtilis vt semper tu quibus esse queas?
Quoue etiam vadis? quæ nunc tibi mansio, sors te
Libera quæ curis carne iacente manet?
Tu quoq; quo medio luctus solabere nostros?
Et quid commendas, dum pie Martyr abis?

MARTYR Μαρτυροφίλῳ.

Quod breuibus mœrens, ac dulcis amice rogabas,
Dicam, quò tester spemq; fidemq; meam.
Morte mihi vitam conscindi conijcis atra,
Sed ne fallaris, cautius ista tene.
Non morior, soluor. cum Christo viuere lucrum
Estſ mihi, qui vita me meliore beat.
Nec vos ac nunquam rediturus porrò relinquo,
Sed certò in mundi fine redire volo.
Cum rediens Christus, renouata carne, fideles
Corporibus claris ad sua regna vehet.
Nec resecat filum fatalis parca repente,
Sed fixa à Domino meta salutis adeſt.
Hic etenim solus mortis vitæq; magister,
Consilio æterno tempora nostra regit.
Non adeò propere fatalibus exuor annis,
Dissolui dudum sæpius ante petens.
Bis sex nam lustris, ac binis insuper annis
Vixi: Sat multum temporis illud erat.
Nec subito morbus me vobis abstulit acer,
Perpetuus morbus cum sit iste mihi.
Quo nunquàm carui, pia mens confecta dolore,
Pro grege dispersо, maxime Christe, tuo,
Quem tibi (proh) laniat rabies væsana luporum,
Atq; impostorum dogmata falsa premunt.
Pro quibus ad Dominum diuina voce vocandis,
Sum nactus dudum, debile corpus ego.

Namq;

...a, per ignes,
...s, actus ab hoste fui.
..., infando crimine, mensas
...rum, sæpè petitus eram.
...nus immodici talem fecêre labores,
Quos nunc cum fructu maximus orbis habet.
Debilis accessit, morbus per se ipsa, senectus.
Quid me igitur mirum claudere fata fuit?
Sic voluit Dominus, nam visæ terminus hic est,
Quem Deus æterno fixerat ipse mihi.
Profueram fateor, dum me prodesse volebat,
Frugi qui dederat pluribus esse simul.
Non tamen hoc laudat laruatæ Curia Romæ,
Nec qui sectarum dogmata falsa senent.
At valeant, aut (quod magis his optemus amici)
Emendent subito turpia facta sua,
Doctrinam falsam, sceleratam deniq; visam,
Ne meritis tandem præmia digna ferant.
Sed nunc me dempto nostrorum signa laborum,
Nostri quos mundo Spiritus ipse libri
Insignes fœtus peperit, cunctisq; reliquit,
Qui de doctrina, spe, fideq; mea
Testari possint, semper superesse legiq;
Debent, quò prosint: quod precor ipse Deum.
Huc vos qui cupitis me porrò audire relego,
Vtilis his semper, dum manet orbis, ero.
Quò vadam rogitas? sit quæ mihi mansio, forsq;
In qua defunctus gaudia mulsa petam?
In cælum vado, loca, lucida, clara, beata,
Spiritibus sanctis commoda, certa, bona.
Christus vbi noster, mediator, stigma salutis,
Perpetuum nostri pignus amoris habet.
Rex, Dominus, domitor, vindex, protector & victor,
Ad dextram summi consides vsq; patris.

In solio ac regno, cum vero & [illegible]
Verus homo, æternus nec minus ipse.
Corpore nequaquam vero diffusus vbique,
Dogmatis Vtopij finxit vt ille pater.
Et sic in cœlis, in certa sede beatus,
Ipsa re video fallere dogma nouum.
Hic etenim in cœlis cœlestia gaudia prenso
Quæ Deus æterno præparat ipse suis.
His fruar in Domino, donec compleuerit annos
Mundus, quos Dominus fixerat ipse suos.
Corpore tunc etiam, purgata carne, resumpto
Æternùm gaudens perpete pace fruar,
Interea precibus luctus dispellite vestros,
Atque Dei verbo credite, spéq; bona
Dum Dominus dederit superesse & viuere, quæuis
Sufferte, & sortem vos quoque ferte meam.
Sic expectando Dominum implorate subinde,
O Iesu venias paxq; salusq; citò.
Hæc tibi sufficiant, claudendo lumina namq;
Vitam depono, spiritus astra petit.

BLASII MARCVARDI.

Extincto nuper Tigurina Academia claro
Martyre, lugubri talia voce refert.
Sæpè mihi luctus mors inuida causa fuisti,
Mersisti teneras sæpius imbre genas.
Sæpe suos fleuit Respub. nostra parentes,
Hostili quondam qui cecidere nece.
At vix vlla fuit tam iusti causa doloris
Atque mihi, quæ sim Martyre nuda meo.
Martyre nuda meo, sacrum qui mystica vatum &
Ardua discussit tot monumenta patrum.

Christiq;

Christiq; infestos vt muras abemus hostes,
Voce sacri latè fudit Euangelij.
Testis erit Latium, & florens Germania testis,
Anglia testis erit, Gallia testis erit.
Sed iuuat immodicos nil quidquam fundere fletus,
Fata velut cunctis non subeunda furent.
Maiores laudem factis peperêre perennem,
Hic peperit scriptis nomina digna suis.
Illi Christigenam testati sanguine mentem,
Ipse tibi Martyr dogmate martyr erit.
Vna dies nequijt Heroas tollere cunctos,
Non omnes doctos abstulit vna dies.

IOANNIS CONRADI Fabricij.

Martyra mors Petrum nostris subduxit ocellis
Clausit & exiguo membra sepulta loco.
Quo se grex omnium tanto pastore perempto
Vertet, & vnde sibi pabula nota petet?
Quis doctos vltra simili sermone docebit?
An cuiquam est tantis mens cumulata bonis?
Non dubitanda loquor, percellimur omine tanto,
Et vereor mœstas vrbis adesse dies.
Summe Deus pastorq; gregis submitte labori
Pastores, templi commiserere tui.

EPIGRAMMATA
IN EVNDEM.

In D. Petri Martyris Vermilij Florentini imaginem, Ioannis Parkhursti Angli Tetrastichon.

Florida quem genuit Florentia, Martyris ista
Effigiem Petri picta tabella refert.
Doctrinam, ingenium, dotes animiq; stupendas,
Non posset Cicero pingere pro meritis.

RODOLPHVS Gualtherus in nuptias D. PETRI MARTYRIS Vermilij & Catharinæ Merendæ.

Quòd Christum vita semper testaris & ore,
Martyris haud frustra nobile nomen habes.
At Catharina simul sociali fœdere iuncta,
Indicat à Christo præmia parta tibi.
Ille suos proprio mundatos sanguine testes
Et sponsæ & proprij corporis instar habet.
Accipite hæc igitur saluantis symbola Christi,
Et læti optato viuite coniugio.
Hic precor optata faciat vos prole parentes,
Quæ matrem referat, patris & ingenium.

9. Maij 1559.

Regula Zuinglia Gualtheri uxor cùm pro Eliperio Vermilio D. Petri Martyris F. fidem suam in baptismo obstringeret.

Parue puer, docti spes exoptata parentis,
Exiguum magni pignus amoris habe.

Hoc

Hoc te Gualtheri donauit Regula, corpus
Cùm ſacra baptiſmi tingeret vnda tuum.
Viue puer, ſanctiq; tene veſtigia patris,
Altera Vermiliæ ſpesq; decusq; domus.
Sancta Spei coniuncta Fides tibi cuncta ſecundet,
Flagret & æthereo pectus Amore Dei.
Vnica mortalis ſit CHRISTVS regula vitæ,
Ancora qui pariter certa ſalutis erit.

3. Martij Anno 1560.

IN LIBROS D. P. MARTYRIS IOANNIS FABRICII MONTANI.

Libri loquuntur.

Si præſens animi latentis index
Eſt oratio, ſicut eruditus
Rerum nos docuit magiſter vſus.
Si morum documenta ſunt libelli,
Noſtro nil melius probatiusve,
Dum vixit, potuit parente fingi,
Nil diſertius, eruditiusve,
Nobis nam genitis parente tanto,
(Verum dicere ſiquidem licebit)
Nil ſyncerius eſt probatiusq;,
Nil politius, elegantiusq;,
Nil illuſtrius explicatiusq;.
I nunc liuor edax tuumq; rode
Et cor, & digitos, & omne quicquid
Infelix rabies vorare ſuadet
Mirum ni tibi plaudis & triumphas,
Inuictus quia miles iſte Chriſti
Nunc victus iacet, & iacet ſepultus.

Imponis tibi turpiter scelestę,
Salutem reddidit id quod ante fato
Se debere sciebat, & sepulchro:
Et hoc sponte quidem volensq́, fecit,
Iam vitæ satur, & satur laborum.
Sed qua parte sui perire nescit,
Immortale modò perennat æuum.
Lætis cælicolum beatus oris
Plusquam gaudia Brentiana carpens,
Cui cælum nihili suum libenter
Linquit Martyr, & vsque linquet vni.
Quod nemo reperire dum, videre
Nemo dum potuit bonus, nec vnquam
Quisquam post alijs videbit annis.
Nec nos interea decus parentis,
Nec famam celebrare desinemus.
Dum conuexa poli suos tenebunt
Cursus, in statione dum manebunt
Sol & Luna, diesq́, noxq́,: donec
Alto flumina se mari recondent:
Toto nos etiam legemur orbe.

Finis.

RODOLPHVS

RODOLPHVS GVAL-
THERVS RODOLPHO HO-
spiniano, filio suo dilecto, S. P. D.

PRAECLARE admodum Vergilius, qui Andromachen de Ascanio interrogantem hisce verbis inducit: *Ecquid in antiquam virtutem animosq; viriles Et pater Æneas & auunculus excitat Hector? Vidit enim poëta, generosiores animos à pueris statim maiorum virtute excitari, vt eos sibi imitandos putent, quorum egregia facta publicè celebrantur. Et cum omnes magni faciant, quos sibi laudem & gloriam quæsiuisse vident, plus tamen maiorum exemplis afficiuntur, quos vel ipsi coràm viderunt, vel ab alijs prædicari audiũt. Habes tu mi Rodolphe hæc omnia: Quia non tantum patre, verumetiam auo eo natus es, qui vitæ honestatẽ cum fide in Christũ constanti cõiunxerunt. Pater etiã Adrianus in humanioribus & sacris literis eò usq; profecit, vt inter eruditissimos locũ habere potuerit. Accessit his patruus Ioannes, qui ut eruditione eximius, & ob morũ suauitatẽ bonis oĩbus charissimus: ita patri suo in morte gloriosa pro Iesu Christo socius fuit indiuulsus. Et hi quidem nunc in Christo beati viuũt & noĩs sui memoria te ad virtutẽ excitant. Quæ eò maioris apud te authoritatis esse debet, quòd in viuis ad huc habeas domestica exẽpla, quibus nõ minus excitari potes: auunculum nimirũ, Ioannem Vuolphiũ, eruditiss. virũ & ecclesiæ nostræ fidelẽ ministrum: patruum item alterũ, Leonhardũ Hospinianum, cuius doctrinam elegantiss. et mores candidissimos, ne ipse quidẽ Momus reprehenderit. De me, qui fidẽ meam tibi obstrinxi, cùm in sacro fonte Christo initiareris, hoc unũ dico, nũquam mihi te & studia tua promouendi voluntatẽ defuturam, quoad spei de te cõceptæ respondere perrexeris. Interea breue hoc carmen, quo non tam patris tui memoriam celebrare, quàm ex morte eius obortum dolorẽ lenire volui, apu-*
gnus esse velim. Vale, 25. Febr. Anno incarna

IN TVMVLVM D. ADRIANI HOSPI-niani, Altorfianæ Ecclesiæ apud Tigurinos fidelissimi pastoris.

Pater filium alloquitur.

Per varios casus, per multa pericula tandem
Appulit ad portum nostra carina suum.
Hospes in hisce fui terris, nunc ciuis Olympi
Mens mea cum Christo regna beata colit.
Molliter ossa sub hoc tumulo defossa quiescunt,
Rursus ad extremum sed reditura diem.
At tu, dum licuit dilecti cura parentis,
Auribus ista tuis iussa, Rodolphe, cape.
Esto bonus, fidei & veræ pietatis amator,
Sit vitæ Christus regula certa tuæ.
Illum nec pudeat vita & sermone fateri,
Qui vitam pro te tradidit ipse suam.
Hoc auus, hoc patruusque tuus, qui fortiter olim
Pro Christo vitam deposuêre, monent.
Hoc ego nunc moneo, qui illorum magna laboris
Tunc quoq; pars fueram, certus & ipse mori.
Ast aliter CHRISTO *visum, qui ex ore Leonis*
Eripuit, vitæ & tempora plura dedit.
Iamq; grauem senio tranquilla morte solutum
In superas ad se transtulit inde domus.
Tu si patris, aui, patrui, vestigia serues,
Et studijs pergas inuigilare bonis,
Exurget magnum toto tib. nomen in orbe,
Te sum[illegible]errum, crede, beatus eris.

ΕΙΣ ΑΔΡΙΑΝΟΝ ΞΕΝΟΝ, ΕΚ.

52

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN FILIUM D. PETRI MARTYRIS

Vesosthumam, Rodolphus Gualtherus Tigurinus.

MARIA VERMILIA POSTHVMA.

Dum nitidam mundi lucem, dum cætera miror,
Atque oculis lustro non mihi visa prius.
Quæro patrem: Nusquam est: Sed cælos ipse petiuit.
Quid faciam? Deus ah cum meus sit, pater-

6. Martij. Anno